



**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

IV. Pars Meditationvm, Ab Octaua Corporis Christi, Seu Dominica secunda post Trinitatem vsque ad Aduentum. De eminentioribus Christi prædicantis mysterijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)



QVARTA PARS

MEDITATIO-
NUM.

AB OCTAVA CORPORIS
Christi, seu Dominica II. post
Trinitatem, vsque ad
Aduentum.



Æc quarta pars comple-
ctitur Meditationes de
præcipuis prædicationis
Christi mysterijs, & vir-
tutibus, sic distributas,
vt à Dominica post O-
ctauam Corporis Christi, vsq; ad Ad-
uentum Domini singulis hebdomadis
assignentur quinæ Meditationes de
prædictis mysterijs, & binæ aliæ de
præcipuis virtutibus, pro Feria sexta,
& Sabbath. ex sexta Parte desumen-
dæ: quæ quamuis eo ferè ordine hic
proponantur, quo istic digestæ sunt:
nihilominus liberum erit cuique, imò

Ff

& con-

& consultum, eas potissimum assumere, & crebrius iterare, quas ad suum profectum spirituales sibi magis necessarias esse compererit. Quamvis verò hæ Meditationes ferè omnes viæ illuminatiuæ affectibus sciendis maxime congruant, attamen & purgatiuæ & vniuiuæ viæ plurimum deseruiunt, cum ad perfectam Christi Domini, in triplici viâ perfectionis, imitationem dirigantur. Porrò vt solidius id fieri queat, initio præmittunt aliquot Meditationes de tribus partibus integratibus perfectionis, de mentis puritate, virtutum soliditate, & perfecta cum Deo vniione, quas expedir profundè penetrare, alteque menti infingere, vt in sequentibus Meditationibus ad eximiam Christi Domini, absolutissimi omnis huius triplicis perfectionis exemplaris, imitationem, maiore cum intelligentia & efficacia collimare possimus.

Domi-

2. Heb-
dom.
post
Trinit.

Dominica II. post Trinitatem.

De Cœna magna. Luc. 14.

I.

I. **H**omo quidam fecit cœnam magnã.
Filius Dei factus homo instituit
cœnam triplicem, sanctificantis gra-
tiæ; SS Eucharistiæ; & cœlestis glo-
riæ, & quidem magnam. 1. Ratione
personæ instituentis, & conuiuarum
inuitatorum. 2. Ratione ipsius cœnæ.
3. Ratione finis, ad quẽ directa. 4. Ra-
tione amoris, ex quo instituta. Quis
dignè huius triplicis cœnæ magnitu-
dinem dimetiendo assequatur, cuius
latitudo se extendit ad omnes homi-
nes, quotquot inuitantem Filium Dei
audiunt; ad omnis generis delicias,
& quidem maiores, quàm intellectus
humanus concipere, aut appetitus
concupiscere possit: cuius sublimitas
attingit summas delicias ipsius Dei,
cum in se per participationem con-
tineat fontem omnium deliciarum:
cuius longitudo, seu duratio, vel in
se est æterna, vt cœnæ gloriæ; vel est
æterna, quoad effectum intentum, vt
cœnæ gratiæ, & sacrosanctæ Eucha-
ristiæ,

Ff 2

ristiæ,

riffiæ, quarum vtraq; dirigitur ad participationem æternæ gloriæ : cuius denique profunditas incomprehensibilis, cum in ea Deus infinitus dignetur seipsum sic communicare omnibus & singulis conuiuis tam indignis.

Quam inæstimabilis illa liberalitas Christi tam benignè omnes ad hanc triplicem diuinissimam cœnam inuitantis, & quidem tot modis, per prædicatores, per Patres spirituales, per internas illustrationes & inspirationes, per lectiones piorum librorum, per exempla feruentium Dei seruatorum? Gratitude, amor, feruor anhelandi ad hanc triplicem cœnam, seque dignè ad eam disponendi.

II. *Et cœperunt simul omnes se excusare.*
 Quanta cæcitas, quanta ingratitude mortalium tantam Dei sui benignitatem respicientium, ob inordinatum amorem & cupiditatem honorum, opum, voluptatum? quam miserabilis eorum fors, quam cæci tunc primùm agnoscent, cum apud inferos vociferabuntur: *Quid prodest nobis superbia; aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transferunt omnia tanquam umbra.*
 quàm beata verò illorum fors, qui vel per tria vota religiosa, vel per conti-
 nuam

Sap. 5.

nuam mortificationem concupiscen-
tiarum, despectis terrenis ad cœlestes
delicias medullitus semper anhelant?
Fuga & odium mundi, amor & desi-
derium eorum, quæ Christus cruci-
fixus amavit.

III. *Tunc iratus Paterfamilias dixit ser-
uo suo: Exi cito in plateas & vicos ciuita-
tus; & pauperes ac debiles, & cæcos, &
claudes, introduc huc: dico autem vobis,
quod nemo virorum illorum, qui vocati
sunt, gustabit canam meam.*

Quanta benignitas Dei erga pecca-
tores humiles, demissè agnoscentes, se
esse ex se pauperes, ac debiles, & nu-
dos, & cæcos, & claudos, & mise-
ros, & miserabiles, quos ex stercore
erigit, & inter Principes populi sui
cœnæ suæ magnæ conuiuas adhibet?
quanta porrò seueritas in ingratos, su-
perbos, ambulantes in mirabilibus su-
per se, quos à cœna sua æternam ex-
cludit? Humilis & sincera conuer-
sio, horror ingratitude, maxi-
mè pro beneficio vo-
cationis.

(*)

Ef 3:

Deo

II. *De generali vocatione ad imitationem
Christi in studio perfectionis.*

I. **E**Xpende, quàm promptè Filius
æterni Patris, constitutus Rex
ab eo super mōrem sanctum eius, præ-
dicaturus præceptum eius, venerit in
mundum factus homo, ad expugnan-
dum destruendumque regnum diabo-
li, & dilatandum stabiliendumque re-
gnum Dei, ad principes tenebrarum
cum satellitio suo, peccato, carne,
mundo, forriter debellandos, electos-
que è miserabili seruitute tot infestis-
simorum hostium misericorditer libe-
randos: idque quàm ardenti zelo glo-
riæ Patris & humanæ salutis promo-
uendæ? quàm reuerentia, amore, gau-
dio merito ab omnibus agnoscendus
& excipiendus foret talis Rex infini-
tæ potentia, sapientia, bonitatis, qui
possit, sciat, velit omnes, omnium sub-
ditorum necessitates subleuare, qua-
ta alacritate illi omne obsequiorum
genus deferendum, qui non grauas
tributis subditos, sed debitos exsol-
uit; non exhaurit, vt ipse abundet, sed
egenus factus est, vt eos diuites red-
dat; qui non imponit graues leges,
quas ipse non seruet, sed suaues, quas
ipse

ipſe ex amiffim obſeruando ſuauiores reddit? Gratitude, amor, zelus tam benigno Regi fideliter ſeruiendi.

II. Quàm benignè omnes ad hanc ſacram expeditionem ſecum ſuſcipiendam inuitet, conſilij ſui rationem illis exponendo, videlicet, decretum ſibi eſſe iuxta ſanctiſſimum æterni Patris beneplacitum dæmoni, mundo, carni, cum vitijs & concupiſcentijs ſomnibus bellum indicere, militesque conſcribere, qui armis humilitatis, contemptus ſui & mundi, paupertatis & patientiæ muniti generoſè ſecum prædictos hoſtes aggrediantur, ijsque proſtigatis cœleſtem Patris regiam ſecum triumphantes introire mereantur, ac proinde quotquot huic ſacræ militiæ nomen dare voluerint, conformare ſeſe oportere duci ſuo in laboribus, ærumnis, periculis, perſecutionibus, iniurijs, opprobrijsq; ſubeūdis in hac vita, ſi velint ſecum glorioſè æternum regnare in futura, iuxta illud: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & v- Ioan. 12. bi ego ſum, illic & miniſter meus erit.*

Quis tam honorificam reſpuat conditionem? quid enim glorioſius militi Chriſti, quàm eidem in omnibus aſſimilari? *Gloria magna eſt ſequi Domi- Eccl. 23. num.*

num. Gratitude, zelus Christum in prædictis imitandi.

III. Quàm suaviter insuper & efficaciter omnes ad sua vexilla sequenda alliciat. 1. Tot, tamque gratuitis beneficijs omnes & singulos sibi deuinciendo, iuxta illud: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*. 2. Exemplo suo omnibus præcedendo, ut multò potiore iure quàm Gedeon & Abimelech dicere possit: *Quod me uidebitis facere, facite*. 3. Victoriã certissimam, si per eos non steterit, & coronam amplissimam promittendo. Affectus iisdem.

III.

De peculiari uocatione ad imitationem Christi in studio eximie perfectionis.

I. **E**Xpende, quanta sit dignatio Christi, te, præ tot alijs, qui uel uocantem audire renuunt, uel minus tantum, quoad obseruationem præceptorum sequi satagunt, ad perfectionem sui imitationem, etiam quoad obseruationem consiliorum peculiari gratia sua tam efficaciter excitantis. Quàm grato proinde, prompto, hilarique animo te tantæ gratiæ cooperari oporteret in assiduo studio continuo

continui progressus in triplici via perfectionis? Gratitude, amor, zelus proficiendi.

II. Quantò maior illa sit eiusdem dignatio, te, præ tot alijs, ad statum perfectionis vocantis, tot peculiari- bus illustrationibus & impulsib. tot externis præsijs & exemplis conti- nuò exstimulantis ad feruens indefes- sumque studium eximie propriæ per- fectionis, inuitando te ad sublimiorē mentis puritatem, per iuge exercitiū mortificationis; ad maiorem virtutum soliditatem, per seriam tam interiorū quam exteriorum earundem actuum frequentationem; ad perfectiorem voluntatis propriæ cum diuina sua voluntate conformitatem, per praxin omnimodæ resignationis, & studium solidæ deuotionis. Quot huiusmodi stimulos sentis, tot nouis titulis ad perfectiùs Deo seruiendum obligaris. Affectus ijdem.

III. Quantò adhuc maior sit eiusdē dignatio te præ tot alijs, ex gratuita dilectione, in cooperatorem suum in salute ac perfectione aliorum promo- uenda assumptis, gratiamq; vberem largientis, vt scias, velis, ac possis, ver- bo, exemplo, oratione, alijsque spiri- tualib.

qualib. præfidijs in decurrenda triplici
via perfectionis aberrantes dirigere,
languescens excitare, currentes por-
rò promotere.

Quantus proinde tibi meritò con-
cipiendus foret zelus alios quàm plu-
rimos ad eximiam perfectionem, cu-
iusque statui cōgruentem, omni ope,
& industria, per idonea media ex pura
intentione diuini honoris & obse-
quij fortiter constanterque, omnibus
difficultatibus, superatis, promouen-
di? Gratitude, amor, zelus eximie
perfectionis aliorum.

IV. *De eximia anime puritate, medijsque
eam assequendi.*

I. **E**Xpende, in quo eximia animæ
puritas, finis viæ purgatiuæ, po-
tissimum consistat. 1. Nimirum, vt
quis posteaquam præteritæ vitæ pec-
cata, tam grauiâ, quam leuiâ, quoad
culpam & pœnam ritè expiarit, nullis
deinceps, quantumvis leuibus, deli-
ctis se inquinat, & quantum humana
fragilitas patitur, omnia etiam illa,
quæ ex subreptione fiunt, agreque
vitari omninò possunt, studiosè ca-
ueat,

neat, sollicitèque expiet. 2. Ut vitiosos habitus sic eradicet, effrenes passiones sic edomet, tentationes instantes sic congruis medijs preuertere, & præsentis superare consueſcat, ne vnquam ijs se ad peccatum veniale voluntariè committendum pertrahat. 3. Ut sic omnem inordinatum erga creaturas omnes affectum exuat, ne vnquam creaturæ cuiusuis amore, desiderio, intuitu, vsuque creatorem vel veniali peccato scienter offendat.

Quam pretiosa est hæc animæ puritas in oculis diuinæ Maiestatis, quã grata Angelis, quam amabilis hominibus? quam puro, ardenti, constanti, insatiabili desiderio ad illam merito æmelandũ omni, qui cupit Deo, tantæ puritatis amatori, vniri? His expensis zelus proficiendi, in hac puritate eliciendus, latissimè, quoad omnes prædictas eius partes: sublimissimè, quoad intentionis puritatem & eximium conatum; constanter, tota vita, in omnibus vicissitudinibus consolationis & desolationis, prosperitatis & aduersitatis; insatiabilissime, quoad desideria supra vires Angelicam mentis puritatem in terris æmulandi.

II. Quæ sint media eam assequendi, augendi, & conseruandi: nempè. 1. Feruens desiderium, efficaxque propositum, ad eximium hunc animæ nitorem contendendi concipere, idemque crebrò manè, vesperi, in meditatione, in examine, in periculo lapsus, aut post lapsum renouare. 2. Protestari manè coram Deo: omnis generis tentationes & peccandi illecebras cuique occurrere solitas semper fore contra suam voluntatem, malleque se millies mori, quam Deum deliberatè offendere, imò medullitus optare, vt quoties illæ occurrerint, toties à se & ab omnibus omni possibili modo Deus glorificetur. 3. Sollicitè ad seipsum ab omni labe præseruandum attendere, per praxin exercitij diuinæ præsentia, præconsiderationis practicæ, recollectionis crebræ seu horariæ, per viam memoriam suæ vocationis & professionis, per piam diuinorum beneficiorum & attributorum ruminationem. 4. Post lapsum quemuis profundè se humiliare, & contritionè elicere cum spe veniæ & proposito emendationis. 5. Accuratè instituire examina quotidiana, confessionem, recollectionem hebdomadariam, men-

menstruam, aliaque eiusmodi. quàm hæc & similia media facilia sint, quàm efficacia ad insignem animæ puritatem breui acquirendam? quomodo ijs vsus fueris, ac porrò uti velis? quomodo te ijs vsum fuisse in hora mortis optares? Feruor his medijs seridò vtendi.

III. Quo ardore Sancti innocentia vitæ conspicui, ad hanc angelicam animæ munditiem suspirarint? quo feruore his & similibus medijs vsicandem indies auxerint, illibatamque conseruarint? in primisque immaculatissima Deipara, speculum sine macula, cuius omnes cogitationes, desideria, verba & opera nulla vnquam vel leuissima labecula infecta plusquam Angelicam puritatem redolebant. Congratulatio, zelus imitandi.

De Christo, causâ exemplari huius puritatis.

V.

I. **E**Xpende, quàm clarum nobis huius excellentissimæ puritatis & innocentia exemplū præbuerit Christus Dominus 30. annos priuatam vitam agens, qui licet esset impeccabilis, nubi-

nihilominus! tam circumspecte sese in omnibus gessit, ac si instar ceterorum hominum peccatis & indomitis passionibus obnoxius fuisset. O quam sanctæ & immaculatæ fuere omnes eius cogitationes, omnia desideria, verba, opera! quam longè abfuere ab omni inordinato motu passionum & amore creaturarum! O si nostra vel à longè essent illorum similia! Gratitude, amor, zelus imitandi.

II. Quomodo tempore prædicationis hanc eandem omnimodam mētis puritatem, verbo & exemplo nobis commendavit, tam acriter peccata omnia cordis, oris, operis, nec solum maiora, sed etiam minora perstringendo, usque adeò, ut etiam de minimo verbo otioso asserat in die iudicii reddendam rationem: extirpationem vitiosorum habituum: seriam mortificationem sensuum, & prauarum passionum, absolutamque inordinari erga sanguine iunctos, aliasque res creatas omnes affectus abnegationem toties inculcando: denique omnia hæc, quæ verbo docuit, vitæ exemplo comprobando, atque ita sese gerendo, ut ne à curiosissimis & malitiosissimis omnium dictorum & factorum suo-

rum

rum obseruatoribus. vel vnius minimi
errati leuissimæque imperfectionis
verè posset conuinci, iuxta illud: *Quis Ioa. 8.
ex vobis arguet me de peccato?*

III. Quomodo demùm tempore
passionis suæ eiusdem absolutissimæ
innocentiæ speculum nobis relique-
rit, in summis iniurijs, opprobrijs, do-
loribus & cruciatibus ne minimæ
quidem imperfectionis aut leuissimi
motus indignationis, impatientiæ,
superbiæ, pusillanimitatis, alteriusve
minus ordinatæ affectionis signum
vel verbulo, vel nutu, vel gestu pro-
dendo, sed pacatissimo animo omnia
ferendo, sanctissimolque prædictis
imperfectionibus oppositos affectus
commiserationis, amoris, resignatio-
nis, humilitatis, patientiæ & similes
constantissime continuando: idque

amore nostri profectus, vt nos ad

sui imitationem prouo-

caret. Affectus

ijdem.

(?)

De

VII. De Christo caussa promerente huius
puritatis.

I. **E**Xpende, quàm vberem nobis
Christus promeruerit gratiam,
omnia peccata cordis, oris, operis
quoad culpam & pœnam expiandi,
atque in futurum eadem, tam parua,
quam magna præcauendi. 1. Tot san-
ctissimis profusis lacrymis internisq;
suspirijs, quibus eam nobis à Patre to-
ries, tota vita, exposcebat. 2. Tot mo-
lestissimis laboribus & ærumnis 33. &
amplius annis exantlantis. 3. Tot atro-
cissimis doloribus, tormentis & op-
probrijs toleratis, quorum singula e-
rant infiniti valoris.

Quis desperet de eximia animæ
puritate consequenda, fretus tanta in-
finitorum Christi meritorum superef-
fluentia? Gratitude, amor, zelus per-
fectè expiandi & cauendi omnia pec-
cata maximè magis voluntaria.

II. Quàm copiosam nobis similiter
promeruerit gratiam, omnes vitiosos
habitus extirpandi, indomitas passio-
nes frenandi, tentationes omnis ge-
neris superandi. 1. Tot heroicis inter-
nis

nis actibus perfectæ mortificationis frequentatis. 2. Tot externis mortificationibus vltro assumptis. 3. Tot tamque enormibus mortificationibus, sibi quoad corpus, animam, famam aliunde illatis æquissimo animo susceptis. His fretus non exardesces ad heroicam continuamque mortificationem, plenamque tui victoriam? Gratitude, amor, zelus eximiæ sui victoriæ.

III. Quàm abundantem demùm promeruerit nobis gratiam, omnem minus inordinatum erga quasuis creaturas affectum, qui quoquo modo posset animam inquinare, omninò exuendi. 1. Tot heroicis desiderijs omni creaturarum solatio se vltro priuandi, vitamque ipsam amore patris & nostræ salutis profundendi, tota vitæ toties elicitis. 2. Tot heroicis naturalibus erga sanguine iunctos, maximè Matrem, vitamque propriam affectus reportatis victorijs. 3. Tot eundem affectum exuendi occasionibus, ab alijs oblati patienter acceptatis, maximè tempore passionis, quando desertus ab omni humano & diuino solatio, nudus in cruce mori dignatus est. Zelus eum imitandi in exuendo
inor-

inordinato affectu omni erga creaturas.

VII.

De Christo causa efficiente eiusdem puritatis.

I. **E**Xpende, quam paratus sit Christus verus noster Mediator infinite potens, sapiens, bonus, tam copiosam tibi olim promeritam gratiam applicare, teque eadem gratia excitante, concomitante, subsequente præuenire & adiuuare, intellectum dirigendo, voluntatem impellendo, viresque tuas omnes confirmando, ut scias, velis, ac possis peccata commissa plenè expiare, & deinceps omnia præcauere, modo suggestis ab eo medijs uti, & communicatis gratiæ auxilijs cooperari satagas. idque ex quanto amore erga te, ut plenè purgatus ipsi euadas hic similior in innocentia, istic in gloria. Gratitude, amor, zelus expiandi & cauendi omnes etiam minimas imperfectiones.

II. Quam paratus sit eandem tibi gratiam peculiariter applicare, ad extirpandos omnes vitiosos habitus, effrenesque edomandas affectiones & vincendas tentationes molestiores ex eodem

eodem amore tui, vt quò gloriosio-
rem de his reportâris victoriâ, eò illu-
striorem merearis gloriæ coronam.
Zelus constanter virgendi continuam
vitiatorum & passionum mortificatio-
nem, & luctam contra impetus ten-
tationum.

III. Quam demum paratus sit simili
gratia te præuenire & adiuuare, in exu-
endo omni inordinato erga creaturas
omnes, & te ipsum affectu, atque in
superando omni humano respectu, ne
per eum quouis modo ad vllum pec-
catum, aut imperfectionem deliberatè
committendam te abripi sinas, modo
strenuè velis cooperari. Zelus supe-
randi affectus & respectus omnes
inordinatos.

Dominica III. Post Trinita-
tem.

3. Hebd.
post
Trinit.]

De oue & drachma perdita. Luc. 15. I.

I. ERant appropinquantes publicani &
peccatores, vt audirent illum. Et
murmurabant pharisei, & scriba dicen-
tes: Quia hic peccatores recipit, & mandu-
cat

cat

eat cum illis. Quanta benignitas est Saluatoris erga quosuis peccatores, quantumuis enormes, resipiscentes, & quidem singulos, vt, sicut tunc cum publicanis familiariter agere, manducare & bibere est dignatus, sic etiam nunc eandem illis, immò maiorem exhibere dignetur humanitatem, illos internis inspirationibus tam sollicitè ad se trahendo, ac si aliorum omnium esset oblitus, seipsum ijs in Eucharistia in cibum & potum offerendo, stupendam nimis familiaritatē cum ijs ineundo, maioribus eos subinde fauoribus, quàm innocentes prosequendo! Quisquis hanc non agnoscit, nec ea cor suum emolliri sinit, pharisæis est cœcior & adamante durior: Gratitude, amor, feruor seriæ conuersionis.

II. Hanc ineffabilem suam erga peccatorem quemuis charitatem, & plusquam paternam in eo reducendo sollicitudinem clarè nobis ob oculos ponit publici parabola pastoris, ouem centesimam perditam relictis 99. querentis, & mulieris accensa lucerna vnam ex 10 drachmis perditam sollicitè requirentis. O quantum talis pastoris charitatem, & talis mulieris sollicitu-

citudinem clarè nobis ob oculos po-
 nit duplici parabola pastoris , ouem
 centesimam perditam relictis 99. quæ-
 rentis, & mulieris accensa lucerna v-
 nam ex 10. drachmis perditam sollicitè
 requirentis O quantum talis pastoris
 charitatem, & talis mulieris sollicitu-
 dinem excedit charitas & sollicitudo
 Filij Dei è sinu Patris descendens, &
 relictis istis nouem choris Angelorū
 in deserto mundi huius ouiculam v-
 nam, id est, genus humanum, 33. &
 amplius annis, imò quemuis pecca-
 torem, simili modo quærentis, cum
 id, quod pro omnibus præstitit, etiam
 pro singulis præstiterit, & porro,
 si opus esset, præstare paratus
 sit.

Quis abyssum huius tam immensæ
 benignitatis inuestigabit? nullus in
 hac vita, donec clarè videat in altera.
 Affectus ijdem.

III. *Ita dico vobis gaudium erit coram
 Angelis Dei super vno peccatore pœniten-
 tiam agente.* Adhuc clarius eandem
 suam incomprehensibilem erga pec-
 catores quosuis resipiscentes charita-
 tem nobis inculcat, asserens maius fo-
 re coram Angelis Dei gaudium super
 vno peccatore pœnitentiam agente,

Gg

quam

quàm super 99. iustis, qui non indigent pœnitentia.

O si peccator abyssum malorum culpæ & pœnæ, è quibus misericorditer, per seriam pœnitentiam, liberatur; & bonorum gratiæ & gloriæ, quibus gratis cumulatur, intueretur, non tam hoc Angelorum gaudium miraretur, quàm suam stupiditatem & ingratitude detestaretur! Affectus ijdem.

II. *De eximiâ virtutum soliditate, medijsque eam assequendi.*

I. **E**Xpende, quænam requirantur ad eximiam virtutum soliditatem & perfectionem, qui est finis viæ illuminatiuæ. 1. Videlicet, vt rectæ seu puræ sint, quoad intentionem, seu, vt exerceantur, non ob respectum vllam humanum, nec ob metum supplicij, nec spem præmij, nec intuitum solius honestatis propriæ, sed honoris & beneplaciti Dei. 2. Vt magnæ seu intensæ sint quoad intensiorem gradum, seu, vt absque lapsu in vitium oppositum, absque magna difficultate & periculo lapsus, cum alacritate & gau-

gaudio, earum actus eliciantur. 3. Ut fortes & constantes sint, quoad extensionem ad omnia obiecta, quantumuis ardua, ad omnia tempora, tam aduersitatis, quam prosperitatis: seu, ut earum actus tam externi, quam interni circa quæuis obiecta occurrentia, siue flet Auster prosperitatis, humanæ laudis, & diuinæ consolationis, siue Aquilo aduersitatis, vituperationis & desolationis, & quali cum intentionis caritate, contentione, alacritate, & gaudio inter grauissimas etiam ærumnarum, difficultatum, calumniarum, opprobriorum, tentationum, persecutionum procellas constanter frequententur. O quam rara & quam pretiosa talis virtutum soliditas! quam raro igitur & eximio feruore ad illam tibi contendendum, & quidem eò constantius, quò abesse ab ea te longius agnoscis! His consideratis concipiendus zelus non mediocris, sed eximij conatus in virtutum studio adhibendi.

II. Quænam efficacissima media sint ad hanc virtutum soliditatem pertingendi, cuiusmodi sunt præcipue,
1. Vehemens & serium desiderium

eximiè in virtutibus proficiendi efficaciter excitare, & frequenter renovare, cum humili petitione gratiæ.

2. Cum magna sui diffidentia & in Deo confidentia frequentare actus internos virtutum, & quidem perfectissimos, quoad intentionis puritatem, obiectorum latitudinem, conatus intensiorem, & desideriorum supra vires infatiabilitatem. 3. Conari externos earum actus, quavis oblata opportunitate, simili eximio conatu non ex arida consuetudine elicere, & quidem non materiales, sed formales, internos externis coniungendo, & desideria vires excedentia superaddendo. 4. Quæsitæ, vel vltro oblata occasione eisdem actus tam internos quam externos circa obiecta valde ardua & naturæ repugnantia viriliter conari exercere, quam perfectissimè oppositi vitij vehementiam & naturam reluctantiam heroicè superando, etiam tempore cuiusvis desolationis & aduersitatis. 5. Post lapsum in oppositum vitium profundè se humiliare coram Deo suam fragilitatem deplorare, cum intima compunctione cordis, spe veniæ, & proposito emendationis. His & similibus medijs si stre-

nuè vtereris, quam brevi eximiam
virtutum soliditatem consequeris?
quam clare id videbis & deflebis in
termino viæ, sed heu serò nimis, elap-
so tempore gratiæ! Feruor his me-
dijs vtendi.

III. Quam serò, alacriter, & con-
stanter his medijs vsi fuerint strenui
æmulatores perfectissimarum virtu-
tum Christi, & præcipuè B. V. Deipa-
ra, præcipuum post filium omnium
virtutum exemplar. Admirare & æ-
mulare.

*De Christo eaussa exemplari perfectio-
nis & soliditatis virtutum.* III.

Expende quam absolutum nobis
Christus exhibuerit speculum
huius eximiæ soliditatis ac perfectio-
nis in internis virtutum actibus perfe-
ctissime frequentandis, nempe latissi-
mè, quoad omnia obiecta: purissimè,
quoad intentionem: sublimissimè,
quoad intensionem actuum: constan-
tissimè, inter prospera & aduersa: insa-
triabilissimè, quoad heroica desideria:
idque 1. In infantia, adolescentia, vita
priuata vsque ad annum trigessimum.
2. Triennio, & quod excurrit, prædi-
cationis. 3. Tempore passionis, & qui-

Gg 3

dema

dem semper ex gratuito amore nostri, & zelo nos ad sui æmulationem prouocandi. Gratitude, amor, zelus eum imitandi in internis virtutum actibus eximiè frequentandis.

II. Similiter quàm eximium nobis præbuerit exemplum eiusdem absolutissimæ perfectionis in externis virtutum actibus eliciendis, internisque coniungendis circa obiecta omnia quantumuis ardua, & naturæ repugnantia, purissima cum intentione, summa contentione, inuicta constantia, insatiabili desiderio perfectius eosdem frequentandi: idque similiter tempore vitæ priuatæ, prædicationis & passionis, quauis vltro accersita, vel aliunde oblata occasione, ex eodem incenso maioris nostri profectus desiderio. Gratitude, amor, zelus eum imitandi in externis virtutum actibus perfectè frequentandis.

III. Demùm quàm diuinam nobis reliquerit ideam superaddendi quàm frequentissime internis, externisque actibus virtutum extraordinaria longè vires nostras excedentia desideria, longè plures, puriores, intensiores, diuturniores, solidioresque circa omnia obiecta etiam possibilis, omni
pos;

possibili perfectione, absque omni spe præmij, omnium possibilium creaturarum possibili affectu, in finem usque mundi, imò in æternum & ultra earundem actus frequentandi pro diuino beneplacito. Quot, quàm incomprehensibilia Christus tota vitam tempore vitæ priuatæ, quàm prædicationis & passionis huiusmodi desideria multiplicarit? idque eo affectuosius & diuinius, quò cognoscebat clarius 1. Infinitam Maiestatem Dei infinitis obsequijs esse dignissimam. 2. Gratißima esse eidem eiusmodi desideria, quæ pro factis ipsis acceptet. 3. Nobis eadem esse utilissima, quibus defectum imperfectorum operum nostrorum supplere possimus, Affectus ijdem.

De Christo causa promerente & efficiente huius soliditatis virtutum. IV.

I. **E**Xpende, quàm superabundantem nobis Christus promeruerit gratiam omnium virtutum tum internos tum externos actus cum heroicis supra vires desiderijs, cum eximia perfectione frequentandi modo

Gg 4

supra

supra inſinuato, tot ſupereminentiſſimis virtutum actibus internis externiſque frequentatis, cum tot diuiniſſimis deſiderijs ſuperadditis, & quidem tota vita ſingulis pene momentis, quorum ſinguli erant infiniti valoris: idque ex incenſo maioris noſtræ ſalutis & perfectionis zelo, in quem etiam finem eorſdem virtutum actus, atque heroica deſideria æterno Patri pro ſingulis Electis obtulit, & peculiariter applicare decreuit.

Quanta illa Saluatoris charitas, quanta liberalitas? quanta ergò fiducia & alacritate, ad præceſſum virtutum culmen, per ſupradicta media foret nobis contendendum? Gratitude, amor, ſpes, & zelus proficiendi in ſoliditate virtutum.

II. Quam paratus ſit tam vberem nobis olim promeritam gratiam nunc reipſa applicare, præſidijsque eiſdem gratiæ excitantis, comitantis, ſubſequentis nos præuenire, adiuuare, confortare in congruis ad ſupremum virtutum apicem pertingendi medijs adhibendis, imò & nobiſcum cooperari in omnibus & ſingulis, tam internis quàm externis virtutum actibus, heroicis que ſupra vires deſiderijs eliciendis.

Quis

Quis tanta dignatione benignissimi & amantissimi mediatoris nostri, qui potest, scit, & vult adiuuare infirmitatem nostram, non accendatur ad ipsum redamandum, atque ad strenuè tantæ eius gratiæ cooperandum? Gratitude, amor, zelus cooperandi gratiæ Christi in medijs ad virtutum culmen pertingendi vsurpandis.

III. Quàm suauiter & efficaciter nos inuitet, trahatque ad eximium conatum cooperandi suæ diuinæ gratiæ in excellenti, per idonea media, prædicta virtutum soliditate consequenda. 1. quidem funiculis huius inæstimabilis charitatis, ex qua olim nobis tot lacrymis, tanto sudore & sanguine gratiam necessariam promereri dignatus est, & nunc applicare, & nobiscum quodammodo in virtutum exercitio laborare dignatur. 2. Promissionibus tot tamque eminentium huius & futuræ vitæ præmiorum. 3. Minis tot tamque grauium, huius & futuræ

vitæ suppliciorum, pigris
& tepidis debitorum. Affectus
ijdem.

Gg s.

DE

V. *De eximia cum Deo per charitatem
vnione, & voluntatis nostræ cum
diuina conformi-
tate.*

I. **E**Xpende, quid requiratur ad exi-
miam cum Deo vnionem, &
voluntatis nostræ cum diuina con-
formitatem, qui est finis viæ vnitivæ.
1. nimirum, Vt ea pura sit, quoad in-
tentionem, seu, vt omnes eius actus
tam interni, quàm externi, tam elicit
ab ipsa, ipsique proprij, vt sunt actus
amoris, resignationis, zeli gloriæ Dei,
quàm imperati per eam, vt sunt actus
aliarum virtutum proprij ex motiuo
amoris elicitij, & puro corde, recta in
Deum, propter Deum, per se infinite
amabilem, absque vlllo supplicij præ-
mijque intuitu dirigantur. 2. Vt mag-
na seu intensa sit, quoad intensionem
graduum, seu, vt omnes eius prædicti
actus magna cum facilitate & alacri-
tate frequententur, & quidem cum in-
tenso conatu & insatiabili desiderio
longè vires excedente. 3. Vt fortis &
constans sit, quoad extensionem ad om-
nia obiecta; ad omnia tempora pacis
& belli, ad omnes consolationum &
deso-

desolationum vicissitudines, seu, ut eius actus omnes eadem alacritate & contentione constanter exercentur, tam circa obiecta maximè ardua, quàm circa facilia, tam tempore humanæ desolationis & afflictionis, quàm tempore humanæ consolationis & prosperitatis: ita, ut nec internarum desolationum, anxietatum, tentationū a quibus feruor eius extinguatur; nec externarum oblocutionum, iniuriarum, opprobriorum, morborum, cruciatuum fluminibus obruatur. Quantò hæc gemma est rarior & pretiosior, tantò Deo, Angelisque carior, nobisque quaestuosior. O quot quàmque precellos gradus gratiæ & gloriæ anima Deo vnita sibi breui tempore acquirat, quæ familiares sibi amoris, resignationis similesque affectus frequenter elicit! Zelus proficiendi in eximia cum Deo vnione.

I. Quænam media sint efficacissima ad hanc cum Deo vnionem pertingendi, cuiusmodi sunt, i. feruentem, efficacem, & constantem zelum excitare seridè indies proficiendi in absoluta voluntatis nostræ cum diuina in omnibus conformatione, perfecta-que omnis affectus nostri à creaturis

auulsione, eiusdemque in vnum Deum translatione, eundemque zelum crebrius quotidie iterare cum humili & fiduciali petitione gratiae. 2. Serio conari indies in eximia perfectione viae purgatiuae & illuminatiuae propria proficere, maxime in continua abnegatione sui, & mortificatione vniuersi amoris proprii, inordinati- que erga creaturas affectus, assidua- que aliarum virtutum, ex motiuo puri amoris Dei, exercitatione. 3. frequenter conari actus internos. prae- cipuos amoris, resignationis, zeli gloriae Dei, & salutis animarum, & quidem perfectissime, id est, latissime, quoad omnia obiecta; purissime, quoad intentionem; intensissime, quoad conatum; insatiabilissime, quoad desideria supra vires, idque tum prolixè in meditatione, tum aliàs succinctè per pia suspiria. 4. Actus externos his correspondentes conari quaesita vel oblata occasione exercere simili cum perfectione, internosque iisdem coniungere, & quidem modo heroico circa obiecta admodum difficilia, in maxima desolatione, e. c. maximas iniurias famae, dolores corporis, an- gores mentis, æquo, grato, hilari- que.

que animo acceptare de manu Dei, ex puro eiusdem amore, cum desiderio plura, duriora, probrosiora perferendi. 5. Omnes aliarum virtutum actiones internas, externasque, omnesque etiam ex se indifferentes assuescere, ex motivo puri amoris & beneplaciti Dei obire. 6. Post quemvis lapsum in oppositos defectus profundè se humiliare, veniam cum fiducia deprecari, nouo feruore resurgere.

O si hæc & similia media humiliter, ardentè, & constanter vsurpares, quàm breui tibi ad intimam cum Deo familiaritatem ianuam patefaceres? Zelus his medijs grato alacriq̃ue animo vtendi.

III. Qualis fuerit zelus in hac cum Deo vnione proficiendi, prædictisque medijs sollicitè vtendi Sanctorum, maximè Regine Sanctorum omnium, cuius tota vita planè nihil aliud fuit; quàm intimæ cum Deo coniunctionis, per sublimissimos gratitudinis, amoris, resignationis, zeli gloriæ Dei

& salutis animarum excessus exercitium. Feruor pro mensura gratiæ cam æmulandi.

VI. De Christo caussa exemplari huius
cum Deo vnionis.

I. **E**Xpende, quàm eximium nobis
Christus dedit specimen huius
perfectissimæ cum Deo vnionis, &
cum diuino beneplacito conformita-
tis, per assiduam internorum actuum
gratitudinis, amoris, resignationis, ze-
li gloriæ Patris, & humanæ salutis, &
similium, & quidem perfectissimorū,
secundum omnem dimensionem, fre-
quentationem (vt videre est in Medi-
tationib. 1. p. hebd. 2. & 3. post Epiph.)
idque ex amore maioris nostræ per-
fectionis, eo etiam fine, vt nos ad imi-
tationem sui efficacius excitaret. Gra-
titudō, amor, zelus imitandi in fre-
quenti exercitatione prædictorum af-
fectuum.

II. Quàm luculentum similiter no-
bis exhibuerit speculum eiusdem ab-
solutissimæ cum Deo vnionis, & no-
stræ voluntatis cum diuina voluntate
conformationis, per frequentatos a-
ctus externos amoris, zeli, resignatio-
nis circa obiecta maximè ardua, &
quidem ex omni parte perfectissimos,
cum desiderijs insatiabilissimis perfe-
ctius æterni Patris iudicio & decreto
in

in pluribus magisq; arduis, si placeret, se conformandi, reque ipsa suum erga ipsum amorem testificandi. Zelus in his eum imitandi.

III. Quam denique efficaciter exemplo suo nos docuerit omnes, tum aliarum virtutum actus, tum adiaphoras actiones exercere ex pura intentione, honoris, amoris, & beneplaciti Dei, omnibusque cogitationibus, desiderijs, studijs & conatibus nostris ad hunc veluti scopum vnicum collimare, nihilque aliud velle, desiderare, quærere in tempore, & æternitate, quam idem cum Deo velle, idem nolle: quo nihil est melius, nihil optatius, cum id quasi deificari sit. Zelus ex amore Christum in his æmulandi.

De Christo caussa promerente, & efficiente huius cum Deo vnionis. VII.

I. **E**Xpende, quam copiosam nobis Christus promeruerit gratiam, ad hanc sublimem cum Deo vnionem, per congrua media pertingendi, tam innumeris & ineffabilibus internis externisque amoris, zeli, resignationis actibus totâ vita frequentatis; tot heroicis plures, sublimiores, diuturniores, eiusmodi actus continuandi de-

di de-

di desiderijs superadditis; tot omniū virtutum operibus, alijsque ex purissimo amore obsequijs indies multiplicatis; quæ omnia & singula infiniti pretij ob infinitam personæ dignitatē peculiariter pro Electis in hunc finem obtulit, ex ardentissimo zelo eximij eorum in via vnitiua progressus.

His fretus si supra memoratis medijs humiliter, fiducialiter & constanter vtereris, quàm breui tempore eximiam cum Deo familiaritatem, intimamque cum eius voluntate conformitatem nancisceris? Gratitude, zelus seridè vtendi medijs proficiendi in via vnitiua.

H. Quàm paratus sit eandem efficacem & superabundantem gratiam tanto labore olim nobis promeritā, nunc re ipsa nobis applicare, nosque eadem sua gratia in omnibus internis externisque gratitudinis, amoris, zeli, resignationis, deuotionis, omnibusque alijs exercitijs viæ vnitiuæ proprijs frequentandis adiuuare, & promouere ex eodem paterno maioris profectus nostri desiderio.

Cuius anima non lique scat, atque ad strenuè tantæ gratiæ cooperandum non exardescat, si tantam tam amabilis

Me. 3

Mediatoris nostri dignationem attentè secum perpendat? Affectus ijdem.

III. Quàm demùm nos suaviter inuitet ad seriam, cum hac tanta gratiâ cooperationem. 1. Tot, tantaque tam generalia, quàm specialia beneficia, præsidia, & charismata in hunc finem conferendo. 2. Tot extraordinarios fauores, illustrationes & consolationes feruidis suis impertiendo. 3. Tam liberaliter supereminētissima pro singulis eorum pijs conatibus, sanctisque desiderijs præmia promittendo. Affectus ijdem.

Dominica IV. post Trinitatem.

De Euangelio. Luc. 6.

4. Hebdom.
post
Trinit.

I. **E**stote misericordes, sicut & Pater vester cœlestis misericors est: Nolite iudicare Quàm eximiam nobis Christus inculcat proximi dilectionem ad imitationem misericordiæ & dilectionis Patris cœlestis erga omnes exercendam. 1. Misericordiam proximo summam, modoque excellentissimo exhibendo. 2. Non temere quenquam iudicando, suspicando, dubia in malam par-

I.

par-

partem interpretando. 3. Non condemnando, seu æternâ, aut temporali pœnâ dignum temerè pronuntiando. 4. Facile in nos peccanti ignoscendo. 5. Eleemosynas aut corporales, aut spirituales liberaliter largiendo. Quem in his Patrem misericordiarum imitari pigeat, qui in tot suis miserijs misericordiam ab eo expectat? Zelus proficiendi in dilectione proximi per prædicta charitatis, & misericordiæ exercitia.

II. Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum. in qua enim mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Inuitat ad eandem charitatem & misericordiam proximis non vulgari, sed eximio modo, impendendam, promissione superabundantis retributionis, in hac vita; quoad dona naturæ & gratiæ; in altera, quoad dona gloriæ, & quidem pro mensura meritorum cuique reddendæ.

Quanta liberalitas Dei mensuram temporalis & æternæ retributionis in nostra quasi manu constituentis! Vis ergò Deum erga te exercere magnam misericordiam, liberalitatem, charitatem? magnam erga proximum exerce:

erce : Vis non rigidè iudicari , non damnari , multas tibi culpas indulgeri , magnas gratias præstari ? Idem exhibe proximo , & poteris voto tuo Gratitude , zelus eximiæ fraternæ dilectionis.

III. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui.* Generale contra omnia peccata, defectusque perfectæ dilectioni oppositos suggerit remedium, quod est proprias culpas, imperfectiones, & miseras profundè agnoscere, semperque ob oculos mētis ponere. his enim inspectis facilè aliorum misereberis, & quod tibi fieri, vel non fieri in simili casu velles, aut non velles, hoc quoque alijs facies, aut non facies, & libenter portabis aliorum onera minora, ut alijs portent patienter tua maiora. Agnitio sui, & humiliatio.

De prædicatione & baptismo Ioannis. Matth. 3. Luc. 3.

II.

I. **C**Hristus iam 30. annorum, officium prædicationis breui auspiciaturus, voluit aduentum suum per Ioannem prodromum suum, admiranda victus & vestitus austeritate venerabilem, è deserto diuino instinctu euocatū, mundo annuntiari, ut
osten-

ostenderet veros Euangelij præcones & salutis animarum zelatores oportere esse amantes secessus spiritualis, arctæque cum Deo familiaritatis, & prius discere & facere in secreto, quod docturi sunt verbo in publico. Studium deuotionis, mortificationis, & vitæ exemplaris.

II. Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris *Venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Ioannes cum ab infantia vsq; ad trigessimum annum in deserto se in magna vitæ austeritate, in assidua diuinarum rerum contemplatione, in vigili aduersus insidias Sathanæ colluctatione, in Angelica cordis puritate conseruanda & augenda exercuisset, tandem impulsu Spiritus sancti progressus in publicum, prædicationem suam in baptismo pœnitentiæ auspicatus est, vt doceret baptismum à Christo instituendum esse ianuam salutis, & pœnitentiam initium veræ ad Deum conuersionis; nec posse quenquam esse idoneum Dei in conuertendis animabus instrumentum, nisi fuerit intimè eidem per studium mortificationis, orationis & puritatis cordis coniunctum. Feruor pœnitentiæ,

tia, & mortificationis, studium orationis & puritatis cordis.

III. Ioannes prædicationem suam diuersis auditorum languoribus curandis prudenter attemperabat; proteruorum Phariseorum, & Saduceorum hæreticorum errores acriter refutâdo; plebi, publicanis, militibus benignè præcepta salutis singulis accommodata impertiendo, omnes ad seriam pœnitentiam, tum spe præmiorum, tum metu suppliciorum, inflammando. Omnibus omnia factus est, vt omnes faceret saluos. Quisquis optat multas animas lucrari, hoc discretè studeat æmulari. Zelus discretus.

De Christi Baptismo. Matth. 3.

III.

I. **C**Hristus amantissimæ Matri, quæ cum iam 30. annos suauissimè conuersatus fuerat, de eius quidè abitu mœrenti, at de appropinquante redemptione Israelis gratulanti, valedixit, propositumque suum exposuit. Quàm eximios resignationis affectus in hac ab inuicem diuulsione talis Mater, & talis Filius elicuerint, omnem affectum naturalis amoris exuendo, & diuino Patris beneplacito penitus se conformando, quàm libenter Filium

lium

lium Mater fuisset comitata? at quia id non licuit, quàm ardentè id exercere statuit domi in secreto, quod ipse præstiturus erat in eremo? Mortificatio naturalis amoris erga charos in hac vita, resignatio, ardens Christi imitatio.

II. Contulit se ad Iordanem, vbi Ioannes baptizabat, quem is cum de facie antea non nouisset, Spiritu sancto reuelante agnouit, quàm ingenti cordis exultatione! multò sanè maiore, quàm olim in Matris utero: quàm ineffabili tantè eius humilitatis admiratione, cum videret eum nunc peccatoribus assimilari, licet absque peccato, dignatum, quem tunc agnorat amore hominum incarnatum. Quales interim Christus, tum ad Iordanem pergens, tum inter peccatorum & publicanorum (quorum horrenda scelestia peruidebat) turbas ad Ioannem appropinquans frequentarit affectus intimæ humilitatis, ardentissimæque ad omnes ignominias, contumelias, iniuriasque amore nostri perferendas resignationis, commiserationis item erga sordidos & miseros peccatores, & zeli illos lauandi in sanguine suo? Gratitude, humilitas, resignatio.

III. Io-

III. Ioannes appropinquanti Iesu ait: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? cui Dominus: Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam, tunc dimisit illum. Quanta reuerentia & humilitas fuerit Ioannis, tam clarè propriam vilitatem, & infinitam Christi maiestatem intuentis? quanta simul obedientia nutui Christi, ne verbulo quidem ampliùs reluctantis? at quantò maior Christi humilitas eò vsque se demittentis? quantò item maior obedientia non solum ad hunc baptismum fluminis, sed etiam ad baptismum sanguinis & passionis se vtrò æterno Patri offerentis! Gratitudo, amor, zelus imitandi illam humilitatem, obedientiam, amorem crucis.

De eodem Christi Baptismo.

IV.

I. **C**Hristi sic baptizari dignati stupenda humiliatio, clarificatur à Patre æterno triplici indicio, 1. Aperi sunt ei cæli, ad indicandum de cælo ipsum venisse, vt nobis viam ad cælum aperiret, & arcana cælestia reuelaret. 2. Descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, ad significandum, super ipsum veluti florem Iesse requiescere septi- *Isa. II,* formem Spiritus sancti gratiam, & per ipsum,

Gen. 8.

ipsum, quem præfigurabat columba ex arca Noë emissa mundum ab eluuiione peccatorum liberandum. 3. Vox de cælo audita: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Filius non adoptione, sed naturâ; non regeneratus ex aquâ, sed ante Luciferum genitus, in splendoribus Sanctorum; dilectus, quâ homo, vnicè, quia facit, quæ mihi placita sunt semper; infinitè, quâ Deus, in quo mihi sic complacui, ut nullus mihi placeat, nisi per ipsum, & propter ipsum, eo quæ sit mihi quisque charior, quod illius imagini fuerit conformior. Congratulatio de gloria Christi, gratitudo pro tot charismatis per ipsum nobis collatis, amor, & zelus imitandi.

3 p. 9. 66.
ar. 3.

II. Christus tunc quoque suum verum baptismum per Ioannis baptismum præfiguratum, secundum D. Thomam, instituit, aut certè innuit, qui in nomine trium diuinarum personarum ibi apparentium conficitur, & hos tres effectus habet, ut cælum aperiat; Spiritum Sanctum, eiusque dona conferat; filios adoptionis gratos & dilectos æterno Patri efficiat.

Quanta gratitudo debetur Christo aquas in lauacrum regenerationis sanctifi-

ctificanti, pro tam facili remedio ad tam præclaros effectus obtinendos pro omnibus instituto? Gratitude, feruor baptismalem gratiam illibatam conseruandi.

III. Christus vicissim, vt piè credi potest, Ioannem baptismo abluit, sicq; eius votum: *Ego à te debeo baptizari*, impleuit, quanta cum illius exultatione, humilitate, gratitudine? quò maioribus noue gratiæ, & cœlestium donorum fauoribus auctum se sensit, eò feruentius prædictos affectus excitauit. Zelus in his illum æmulandi.

De secessu Christi in desertum.

V.

Matth. 3.

I. **C**Hristus sic à Patre clarificatus, declinans plausum hominũ, impulsusq; Spiritus sancti sequens, statim secessit in desertum. Quanto desiderio illuc anhelarit, tum, vt liberius, absque vlla interpellatione, diuinæ contemplationi vacaret, tum, vt futuris eremi cultoribus, vitæ solitariæ & contemplatiuæ; & vitæ mixtæ sectatoribus prolixioris subinde saltè cum Deo in deuotionis exercitijs congressus instituendi luculentum exemplum daret. Gratitude, zelus in his imitandi.

H h

II. Man-

II. Mansit illic quadraginta diebus, seq; disposuit ad auspicandum prædicationis officium per continuam ab omni refectione abstinentiam, per assiduum contemplationem & orationem, per aerem cum Sathanâ colluctationem; non, quod ipse indigeret, sed, ut nos institueret, quomodo tum vniuersis veræ sanctitatis studiosis, tum præcipuè ad salutem aliorum procurandâ vocatis, à propriæ defectionis studio sit inchoandum, per assiduum diuturnumq; exercitium mortificationis & deuotionis, & per frequentes de temptationibus mundi, carnis, diaboli reportatas victorias, simulque ad hæc omnia præstanda nobis copiosam gratiam impetraret. Gratitude, zelus in his imitandi.

III. Completis his quadriaginta dierum & noctium mortificationis & deuotionis exercitijs, egressus est ex eremo aggrediendû opus prædicationis, atque ad asciscendos sibi socios & cooperatores huius sacræ expeditionis, quam inflammato zelo gloriæ Patris longè lateque propagandæ, & salutis ac perfectionis omnium promouendæ? quanta alacritate & gaudio cum præuideret, quanta ex hisce, quan-

tum.

quantumuis tenuibus principijs Eu-
angelicæ prædicationis æterni Patris
glorificatio, & tot millium animarum
conuersio esset promanatura? Zelus
gloriæ Dei & salutis animarum.

De perfecta fidei di- gnitate, proprietati- bus & fundamentis.	} 6. p. med. {	VI.
De actibus fidei per- fectè exercendis.	} 2. {	VII.

Dominica V. post Trinitatem.

De Christo docente ex naui Petri.

Luc. 5.

5. Heb-
dom.
post
Trinitatē
I.

I. **C**Hristus irruentes turbas docet
è nauicula Petri paululum à ter-
ra reducta. Quātus ardor Christi ver-
bi diuini seminandi, quanta deuotio
populi audiendi? quomodo exultare
Christus præuidens ex nauicula Petri,
id est, Romana Ecclesia, inter tempe-
states fluctuatura, non mergenda, si-
dem toto orbe propagandam, simulq;
tantam hominum multitudinem olim
conuertendam? Zelus gloriæ Dei, &
conuersionis populi.

II. *Vi cessauit loqui, dixit Simoni: duc in
altū, & laxate retia vestra in capturā, quā*

H h 2

respon-

respondit, *Præceptor, tota nocte laborantes, nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabimur.* Et cum hoc fecissent, concluderunt piscium multitudinem copiosam. En typum sæcularium in vasto mari huius mundi piscantium & nihil capientium, quia piscantur in nocte peccati mortalis, in nocte mundanæ vanitatis, intendentes opes, honores, voluptates; in nocte mortis, pœnitentiam in horam mortis differentes: item religiosorum in studio propriæ aliënæq; perfectionis laborantium, & parum proficientium, quia piscantur & ipsi gemmas gratiæ & gloriæ in nocte impuræ intentionis: in nocte repiditatis: in nocte procrastinationis veræ conuersionis. O quàm feliciter hi omnes piscarentur, si culpas expiando, intentionis oculum mundando, teporem excutiendo, promptè diuino instinctu parendo, Petrum imitarentur! Feruor maturæ conuersionis; puræ intentionis, promptæ obedientiæ.

III. Petrus obstupescens procidens ad genua Iesu, dicensque: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum:* audire meretur: *Noli timere, ex hoc erunt homines capiens:* Quanta illa Petri humilitas, sic se deprimentis at quanto

ma.

maior Christi benignitas, sic illum vicissim exaltantis? quanta Petri charitas, Christo nauiculā suam tam promptē offerentis? at quantō maior Christi liberalitas, vniuersalis Ecclesiæ nauim illi committentis? Humiliatio, erga Deum liberalitas.

De testimonio Ioannis de Christo, & vocatione primā Andrea. Ioan. I. II.

I. Ioannes cum pridie Sacerdotibus & Leuitis ad se missis de Christo post se venturo testimonium perhibuisset, cuius non esset dignus corrigam calceamenti soluere, altera die videns Iesum ad se venientem, palam ait: *Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi. Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat. Vidi Spiritum descendentem quasi columbam, & mansit super eum, hic est Filius Dei.* Quanto zelo sui deprimendi, & Christi exaltandi hæc dixerit, quos internos reuerentiæ, amoris, zeli, gaudij de gloria eiusdem affectus adiunxerit? quā se felicem & indignum simul reputarit, cui verbum Incarnatum coram cernere, digitis ostendere, mundoque propalare concessum foret.

foret? Humilitas, gratitudo, amor, & zelus gloriæ Christi.

II. Altera autem die iterum respiciens Iesum ambulantem, ait duobus discipulis suis, quorum vnus Andreas erat: *Ecce Agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum* Quantus zelus Ioannis gloriam Christi augere vnicè desiderantis & gaudentis! quantò maior Christi horum, omniumque salutem sitientis, ideoque tam efficaciter post se trahentis? Zelus gloriæ Christi, gratitudo, amor vocationis.

III. Conuersus Iesus, & videns eos sequentes, dicit eis: *Quid queritis? Qui dixerunt: Rabbi ubi habitas? Dicit eis: Venite, & videte. Venerunt, & viderunt ubi maneret, & apud eum manserunt die illo.* Quanta Christi Domini suauitas tam benignè suos peculiariter dilectos ad se allicientis, & tam efficaciter in funiculis charitatis trahentis, lactantis eos, ducentis in solitudinem, & loquentis ad cor eorum? quanta illorum felicitas, qui innocentes & reſecti adhæreat illi, & preuenti peculiaris gratia sic se pellici, trahi, lactari, duci moueri sinunt? *Quam beatam illi diem duxerunt, quam beatam noctem! quis est*

Ose. II.

& 2.

Psal. 24.

D. Aug.

tr. 7. in

Ioan.

qui nobis dicat, qua audierint illi à Domino? quàm beatos dies, quàm beatas noctes ducunt etiam omnes alij, qui simili modo à Domino vocantur? quàm extraordinarias illustrationes, quàm suaues impulsus, cum mira pace & dulcedine mentis superante omnem sensum experiuntur, vt exclamare libeat: *Trahere nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum?* Amor, gratitudo, feruor cooperandi gratiæ vocationis.

Cant. II.

De Petro per Andream, & Nathanaele
per Philippum ad Christum adducto. Ioan. I.

III.

I. **A**NDreas frarrem Simonem ad Christum, ceu verum Messiam, adduxit: quem is intuitus dixit: *Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, id est, Petrus.* Quàm gratus fuerit Christo zelus Andream primi sui discipuli pro salute fratris & gloria magistri promouenda tam solliciti? quàm copiosè hunc Dominus remunerarit: nouis charismatis illi impertitis? quàm Christi exultatio de conuerso Petro, futuro suo in terris vicario? quàm raris primo intuitu mentem eius diuinæ lucis radijs illuminarit, & amoris

H. h. 4.

ris

ris facibus inflammarit. O quàm felix, quisquis sic à Christo respici meretur! Zelus animarum, amor Iesu & vocationis.

II Philippus similiter postero die à Christo ad sequendum se inuitatus; Nathanaelem aduentu veri Messiae monitum secum ad eundem deducit, quanto Philippi zelo, Nathanaelis bono, Christi gaudio? Affectus ijdem.

III. Videns Iesus Nathanaelem ad se venientem dicit de eo; *Ece verus Israelita, in quo dolus non est.* quærentiq; illi: *Vnde me nosti?* ait: *Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.* moxq; is mirè illuminatus & inflammatus exclamat: *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel.*

Quanta bonitas & charitas Christi erga rectos corde, quos sic oculis misericordiæ respicit, in innocentia conseruat, gratia præuenit, vocat, illuminat, inflammat? Gratitude, amor Iesu & vocationis.

IV. *Defugatus è templo. Ioan. 2.*

I. **C**Hristus circa Pascha è Caparnaò Ierosolymam ascendit, templumq; negotiatoribus refertum reperiens mi è indoluit, cum videret nò solum

solùm toto orbe diuinum cultum æterno Patri debitum, in tot delubris demonibus sacrilegè tribui, sed in ipso etiam vnico templo, veri Dei laudibus & sacrificijs dedicato, res profanas tractari, lucra quæri, quæ Dei sunt, negligi. At quantò intensius doluit, præuidens subsequen- tibus sæculis etiam à fidelibus, imò à tot diuino seruitio consecratis res diuinas tam oscitanter tractari, imò toties profanari, tam parum & frigidè diuinæ gloriæ & salutis aliorum promouendæ inuigilari, tam auidè sollicitèque lucris temporalibus, voluptatibus, & honoribus inhiari! Dolor de cultu diuino passim neglecto, & nostra in rebus diuinis socordia.

II. Et factò è funiculis flagello, omnes eiecit è templo, nummulariorum effudit æs & mensas subuertit, & vendentibus columbas dixit: *Auferte ista hinc.* Quàm feruens & intrepidus fuit hic zelus Saluatoris, vt solus omnes illos templi profanatores aggredi auderet! quàm fortis & potens, vt omnes penè exanimaret, & sin stuporem verteret! quàm denique suavis & benignus, vt non acrius in illos sæuaret, sed paterno flagello potius terreret?

H h 5

At

At quantò ille eius zelus feruentior, fortior, potentior, & benignior fuit, quod tam diris postmodum flagellis dilaniandum se vtrò offerre dignatus sit, vt ab æternis nos cruciatibus liberaret! Amor, gratitudo, zelus gloriæ Dei fortis & suavis.

III. Quærentibus Iudæis signum ad comprobendam potestatem istud audendi, duplex ijs signum assignat: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* quod illi non intelligentes calumniantur. O quale signum infinitæ eius charitatis, quod templum corporis sui, in quo habitat plenitudo Diuinitatis corporaliter, permiserit per durissimos cruciatu dissolui! quale signum eiusdem diuinæ potentia, quod propria virtute illud dissolutum gloriosius resuscitarit! Amor, gaudium de gloria Christi, fuga temerarij iudicij.

y.

De Nicodemo. Ioan. 3.

I. **N**icodemum genere & doctrina nobilem nocte clam, ob respectum humanum, venientem ad se Iesus benignè excipit, nec statim eum reprehendit, sed sensim in cognitionem propriæ ignorantia deducit, ac dein.

deinde discretè arguit, pleniusque instruit, atque ad fidem & amorem sui perducit.

Quoties similem charitatem tibi, quantumvis imperfectè resipiscenti, exhibere dignatus est per internas inspirationes, per Confessarios, Superiores? an non æquum, ut ei te gratum exhibeas, & simili modo proximos tibi commissos ad Christum trahere satagas? Gratitude, amor, suavis & discretus zelus salutis animarum.

II. Christus Nicodemo ruditatem suam prodehenti præcipua fidei capita tradit, uti de Baptismo, Pœnitentia, Ss. Trinitatis mysterio, de Filij Dei Incarnatione, Passione, Ascensione, Vita æterna. quanto zelo eius, omniumque quos per ipsum instrui optabat, salutis ac perfectionis promovendæ, quanto pondere sententiarum, quanta energia verborum hæc sublimissima mysteria illi explanârit, simulque desiderarit omnes ad clariorem illorum cognitionem, maioremque æstimationem inducere, & vitam eorum notitię conformare, nobisque perfectissimam formam eadem rudioribus tradendi relinquere? Gratitude pro dono fidei, zelus animarum.

Hh. 6

III. My-

III. Myſterium Paſſionis & Crucis ſuæ, & finem eius vehementius inculcat, ſicut Moyses exaltauit ſerpentem in deſerto. ita exaltari oportet Filium hominis, ut omni, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam, ut oſtendat Patri honorificentiffimam, ſibi gratiſſimam, nobiſque ſaluberrimam eſſe eius piam recordationem, affectuoſam applicationem, & ſeriam imitationem. Gratiſſimo, zelus Chriſtum crucifixum imitandi, eiufque merita ſibi applicandi.

VI.

De perfectæ ſpei præſtantia, conditioni-

VII.

bus, & fundamentis.

De Actibus ſpei perfectè eliciendis, & in-

citamentis.

6. Hebd.
poſt
Trinit.

I.

Dominica VI. poſt Trinitatem.

De iuſtitia Phariſæorum. Matt. 5.

I. **N**iſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Phariſæica iuſtitia ſeu perfectio in his deficiebat. 1. Non erat pura, quoad intentionem, quærebant enim illi in ea vanam

vanam gloriam. 2. Non erat solida, nam externis contenti interiora negligebant. 3. Non erat integra, quia quædam parui momenti superstitione obseruabant, maiora negligebant. 4. Carebat vero fundamento, gratia Christi, uitebantur enim proprijs meritis, non Christi. 5. Non erat exemplaris, docebant enim alios multa, quæ ipsi non faciebant, aliena peccata arguebant, sua defendebant. Caue ne tua perfectio in his similior sit Pharisæicæ, quam veræ & Euangelicæ, quæ pura esse debet, quoad intentionem; lata, quoad extensionem ad omnia eius obiecta, interna & externa, magna & parua; sublimis quoad intensiorem, seu eximia & exemplaris; longa seu constans: profunda, seu humilis, innixa, non suis, sed Christi meritis; & insatiabilis, quoad continuuum proficiendi desiderium. Feruor proficiendi in tali perfecta iustitia, & cauendi opposita vitia.

II. Perfectionis in noua lege requisitæ excellentiam explicat exemplo de non occidendo: *Antiquis dictum est: Non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio,*

Hb 7 decla-

declarans non solum externa peccata, sed etiam interna in noua lege poena digna censerentur. nec enim solum eum peccare mortaliter, qui occidit, sed etiam illum, qui irascitur fratri suo, ira ad occisionem aut graue eius damnumentum tendente, ac multo magis eum, qui verbo probroso eandem iram prodit, licet alius aliograuius peccet.

Quanta ergo sollicitudine mortificanda ira & impatientia, origo tantorumque peccatorum?

III. *Si offers munus tuum ad altare.*

Quanti Christus praecipit fraternae charitatis aestimat, ut diuino etiam cultui praefendum censeat! quam sollicitudinem ergo curandum, ut ea nunquam laedatur, aut laesa certe quamprimum: petitione veniae reparetur, idque potissimum ante sumptionem Venerabilis Sacramenti, per quod unum corpus sumus, qui de vno pane participamus? Zelus omnes defectus contra fraternam charitatem sedulo cauendi, & sollicitudinem quamprimum expiandi.

De Ioannis testimonio Christo baptizante, & martyrio. I. I.

Ioan. 3.

I. **C**Hristo Domino in Iudæa demorante cum discipulis & baptizante, cum discipuli Ioannis quærentur de maiore hominum ad baptismum Christi concursu: clarissimum iterum Christo Ioannes perhibuit testimonium, asserens, ipsum esse verum Messiam, verum Sponsum Ecclesiæ, de cælo venisse, super omnes esse, utpotè unigenitum filium Dei, cui pater omnia dederit in manus, ac proinde illum debere crescere, se autem minui. idque quanto gaudio & gloria Christi, & zelo eam latius propagandi, & suos discipulos omnes ad ipsum pertrahendi? ô quantum malum indiscreta æmulatio, & de aliorum in diuina gloria & salute animarum propaganda felici successu invidia! quam longè illa abest à veris Dei seruis, qui gaudent cum Ioanne & Apostolo Deum glorificari, siue per se, siue per alios, non quærentes suam, sed purè eius gloriam!

Fuga

Fuga inuidiæ , sincerus zelus gloriæ Dei.

II. Iesus ob inuidiam Pharisaorum Iudæam deserit, & in Galilæam redit: quàm paterno erga cæcos illos cauillatores commiserationis affectu? docens nos exemplo suo inuidiæ maleuolorum ex charitate cedendum, amputando & præcauendo omnes cauillandi occasiones. Mansuetudo, compassio erga maleuolos.

Matt. 14. III. Ioannes sub idem ferè tempus ab Herode , ob reprehensum eius adulterium , in carcerem coniectus, ac postea , eiusdem iussu, decollatus, sanguine suo testimonium de Christo perhibitum confirmauit , quanto gaudio ac martyrij desiderio ! quanto zelo gloriæ Christi ? congratulatio, zelus imitandi.

III. *De conuersione Samaritana.*
Ioan. 4.

I. Iesus cum è Iudæa in Galilæam rediret, transiens Samariam venit in ciuitatem Samariæ , quæ dicitur Sichar, vbi erat fons Iacob, super quem cum fatigatus ex itinere sederet.

ret, venit mulier haurire aquam. Quanta charitas Saluatoris amore nostri tot se laboribus ærumnisque vltro subijcientis? quanta benignitas boni pastoris tanta cum fatigatione & molestia ouem perditam requirentis! quam mira eius prouidentia tam inopinatas occasiones, & tam suauia media peccatores ad se pertrahendi adinuenientis! Gratiudo, amor.

II. Petit à Samaritana aquam terrestrem, illique proteruè recusanti offert aquam cœlestem. Magna erat Christi itineris labore & æstu meridiano fracti sitis corporalis; at maior sitis spiritualis eiusdem, salutem huius ouiculæ & reliquarum errabundarum tam auidè sitientis. Magna mulieris erat peruicacia & parcitas: at quanto maior Christi clementia & liberalitas? heu quod insipiens & ingratus peccator eum Samaritana hanc tantam Saluatoris dignationem non agnoscat, cordis sui ostium pulsanti occludat, & tam liberaliter oblatam gratiam respuat! Gratiudo, amor, liberalitas in diuino seruitio.

III. Vt vehementiori huius cœlestis aquæ desiderio eam inflammet, eius excellentiam explicat. 1. Quod hæc aqua

aqua

aqua cœlestis gratiæ firim animæ, non ad breue tempus, sed in perpetuum, & quidem tam perfectè extinguat, vt aliam non appetat, imò, vt omnia terrena fastidiat. 2. Quod fiat scaturigo in ipsa anima semper fluens & dona Spiritus sancti communicans, semperque ad proficiendum impellens,

Eccl. 24. iuxta illud: *Qui me bibunt adhuc sitient.* 3. Quod saliat in vitam æternam, seu desideria sursum tollat, æternumque in altera vita beata perseueret, nam illa sicut *charitas*

I. Cor. 13. *nunquam excidet.* O si penitus huius sanctificantis gratiæ, quæ est pignus vitæ æternæ, præstantiam prævideres, quanto inflammatioe affectu exclamares: Domine, da mihi hanc aquam! quanto feruore eandem quotidie nouis augere incrementis perfectus actus meritorios, maximè charitatis, adlaborares! Gratitude, feruor crescendi in gratia.

De eadem.

IV.

I. **C**hristus disponit sensim Mulierem ad aquam gratiæ participandam, inducendo eam ad peccatorum suorum agnitionem: *Vade, voca virum tuum*, mox que illa Christum ex detectione oculorum suorum delictorum, veluti Prophetam agnitum de loco adorationis interrogat, quam ipse plenius instruit de abrogandis breuicereimonijs & antiquis sacrificijs, & instituendo nouo incruento sacrificio, per antiqua illa præfigurato.

Simili modo quamuis animam peccatricem prius ad pœnitentiam extimulat, ac deinde paulatim ad perfectionem sectandam inuitat, idque quam suauiter & misericorditer? Amor, gratitudo, serua conuersio.

II. Cùm illa non satis verba Christi intellexisset, subdidissetque. *Scio, quia Messias venit, cùm ergò venerit ille, annuntiabit nobis omnia*, Christus expressè ipsum esse Messiam aperit: *Ego sum, qui loquor tecum*. Quantam benignitatem Iesus huic peccatrici pœni-

pœniteni exhibuit. 1. Se tam aperte illi manifestando. 2. Mentem eius, vt statim crederet, illuminando. 3. Tanto feruore eam accendendo, vt relicta hydria Messia aduentum suis concubibus annuntiaret, idque tam efficaciter, vt multos eorum ad Christum pertraheret: Quoties tibi similem exhibuit, & porro exhibere paratus est, modò tantæ eius gratiæ non sis ingratus: Affectus ijdem.

III. Discipulis, qui iuerant emptum panes, redeuntibus & mirantibus, quod cum muliere loqueretur, & rogantibus: *Rabbi manduca*, dixit Iesus: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis: meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* Quam cautè conuersandum illi, qui vestigia sequitur Christi, cui tam insolitum erat cum muliere loqui? quanto zelo sirienda illi gloria Dei, & animarum salus, vt sit illi instar cibi & potus? Cauta conuersatio, zelus gloriæ Dei & salutis animarum.

De initio predicationis Christi in
Galilea. Mat. 3.

V.

I. **V**eniens Iesus in Galilæam, relicta ciuitate Nazareth habitauit, in Capharnaum maritima in finibus Zabulon & Nephthali, & exinde cœpit prædicare & dicere: *Agite pœnitentiam: appropinquauit enim regnum cœlorum.* Quo zelo filius Dei ante Luciferum genitus in splendoribus sanctorum, radijs infinitæ sapientiæ & claritatis suæ illuminans & lætificans ciuitatem cœlestem, nunc deligere dignatur urbem terrestrem, ex qua diuinæ lucis suæ & Euangelicæ veritatis radios quaquauersum longè lateque diffundat? Quanto ardore implere conatur illud Isaïæ: *Terra Zabulon & terra Nephthali via maris trans Iordanem Galilea gentium: populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & sedentibus in regione umbra mortis, lux orta est eis.* Quanto desiderio exoptat non tantum in hoc maritimo Emporio, sed per totum orbem terra marique æterni Patris gloriam propagare, hominesque vniuersos è tenebris in admirabile lumen veræ religionis

voca-

Isa. 9.

vocare? Zelus gloriæ Dei & salutis animarum,

II. *Et circuibat Iesus totam Galilæam docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & sanans omnem languorem & omnem infirmitatem in populo. Quam feruens, indefessus, insatiabilis zelus Saluatoris non solum omnes Galilææ vrbes, oppida, vicos docendo, prædicando, ægros sanando perlustrantis, sed vniuersas insuper totius mundi regiones, vrbes, pagos & angulos, prædicando, benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo circumcurrere desiderantis, si æterno Patri id placuisset? Hunc zelum suspice, & factò secundum vires, desiderio longè supra vires æmulare.*

III. *Et abiit opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes, & curauit eos. Et secuta sunt eum turba multa. Quantoperè exultarit Filius Dei præuidens in his à se curatis, & conuersis tantam gentium multitudinem ad veram fidem ac pietatem per suos Apostolos eorumque successores olim conuertendam, & diuinæ Maiestatis agnitionem cultumque per totum orbem propagandum: sicque*

sicque implendum illud sibi à Patre promissum, & per Isaiam prædictum : Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Iacob, & facies Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terra. Affectus ijdem.

Isa. 49.

De Timoris Dei natura, conditionibus, & fundamentis.	} 5. p. medit.	} 5. VI.
De actibus Timoris Dei, & incitamenti.	} 6. p. medit.	} 6. VII.

7. Hebd. post Trinit. I.

Dominica VII. Post Trinitatem.

De septem Panibus. Marc. 8.

I. **C**Onuocatis discipulis ait Iesus : Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent. & se dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via. Si misericors & miserator Dominus tam sollicitus est de auertenda fame corporali ab ijs, qui se triduo fuerant secuti: quanto sollicitior erit de propulsanda fame spirituali ab ijs, qui tota vita illi adhærere medullitus concupiscunt?

cunt? si tam paternè illis tam extraordinariam prouidit refectiōem corporalem; quantò magis his prouidebit spiritualem? Fiducia, gratitudo, amor.

II. Septem panibus & paucis pisciculis per discipulos distributis, pauit in solitudine quatuor millia hominū. Magna illa fuit charitas & liberalitas Christi, ventres illorum septem panibus reficientis; at quantò maior eiusdem mentes fidelium seruorum suorum septem Sacramentorum participatione reficientis; septem donorum Spiritus Sancti communicatione saginantis; septem misericordiarum (quas ex D. Ber. allatas, vide 2. p. meditat. hebdom. 60. med. 5.) aliorumue gratiarum auxiliorum, & diuinorum solatorum impertitione refocillantibus! quibus nisi identidem in deserto huius mundi reficeremur, omnes deficeremus, ut iure exclamemus: *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius.* Gratitudo, amor, seruator benè vtendi charismatis communicatis.

Thre. 3.

III. *Et manducauerunt, & saturati sunt: & susstulerunt quod supererat de fragmentis septem sportas.* Quanto stupore attoniti

toniti sincerè ei gratias egerint? tam potentem, amabilem, & liberalem dominum suspexerint, quàm ardentè amarint, quàm agrè se ab eo diuelli permiserint? Quanto interim Christus ipse gaudio exultarit, in his præuidens tam multos sinceros seruos olim per se suosque vicarios non solum verbo veritatis pascendos, sed pane vitæ saginandos, à quibus totis præcordiorum affectibus esset amandus & glorificandus! Gratitude, amor, zelus gloriæ Dei.

De vocatione Apostolorum generatim. II.

I. **E**xpende, quis, quos, & quales, unde, & quò, seu ad quid vocarit: videlicet, quo pacto Filius Dei, Dominus vniuersorum, in cuius ditione cuncta sunt posita, qui nouit corda omnium filiorum hominum, elegerit homines adeò rudes, simplices & abiectos, quoad dona naturæ, gratiæ, fortunæ, ex miserabili ærumnosæ vitæ conditione ad statum tam sublimem Apostolicæ dignitatis.

Quàm mira illa dignatio Saluatoris, piscatores, telonarios, coràm mûndo despectos, in testes suorum ope-

li

rum

rum & doctrinæ, in cooperatores salutis animarum, in columnas Ecclesie, in assessores suos in iudicio, & conregnantes proceres in cœlo assumentis! Gratitudo, amor, zelus cooperandi gratiæ vocationis Apostolicæ.

II. Cur, & quomodo vocati sint, & quo fructu. Ex gratuita nimirum misericordia & benignitate Dei, ut essent humiliores, gratiores, feruētiores, quò se tanta gratiarum prærogatiua agnoscerent indigniores. Quam suauiter porrò, efficaciter & mirabiliter vocati, illuminati tracti singuli, ut vnum verbum Christi vocantis apud eos longè præuuleret omnibus catenis, mundi, carnis, dæmonis retractis? Quanta demum ijs vi huius vocationis concessa præeminenti gratiæ in terris, gloriæ in cœlis præ omnibus veteris testamenti Patribus, portantibus pondus diei & æstus, quid coram intueri & contrectare meruerunt, quod illi per fidem à longè aspexerunt? Affectus ijdem.

2. Cor. I.

III. Quanta inde eluceat diuina potentia & sapiētia, quod *qua stulta sunt mudi, elegit Deus, ut confundat sapiētes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mudi, & contemptibilia elegit Deus,*

Deus, & ea, qua non sunt, ut ea, que sunt, destrueret, ut non gloriatur omnis caro in conspectu eius, ne videlicet mundi conuersio vlllo modo humanæ potentia & sapientia, sed diuinæ ascriberetur. Quanta insuper sit illa Filij Dei dignatio, humilitas & benignitas, tam pauperes, & abiectos in suos assecclas & principes Ecclesiæ suæ ex gratuito amore affumentis. Admiratio, amor, zelus gloriæ Christi, eiusque humilitatem imitandi.

De uocatione Petri & Andrea, Iacobi
& Ioannis ad perpetuam Christi
sequelam. Matth. 4.

III.

I. **A**mbulans Iesus iuxta mare Galilæa, vidit duos fratres, Simonem & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare, & ait illis: Venite post me, & faciã vos fieri piscatores hominum. Quos ab æterno vidit, & elegit inter eos, de quibus prædixerat per Ieremiam: *Ecce ego mittam piscatores multos. & piscabuntur eos, hos iam ante in sui cognitionem, amoremque pertractos è mari piscationi intentos nunc ad perpetuam sui sequelam inuitat; quàm suauiter & efficaciter, in hunc finem, ut suæ abie-*

Ier. 16.

Ii 2

ctæ

Etæ conditionis & gratiæ diuinæ
miserationis memores, eò in se
humiliores, & in extrahendis è per-
iculoso mundi pelago animabus fer-
uentiores. † Gratitude, amor, feruor
cooperandi gratiæ vocationis, zelus
animarum.

II. Et procedens inde, vidit duos alios
fratres, Iacobum & Ioannem fratres
eius, reficientes retia sua, & vocauit eos.
Et hos vti ab æterno præuidit & ele-
git in filios tonitrui, in discipulos pe-
culiariter sibi dilectos, in amicos inti-
mos; si nunc à Patre diuulsos ad se vo-
cat, trahit, pertrahit, quanto illorum
gaudio & solatio? Affectus ijdem.

III. Simili modo alios, de quorum
vocatione non fit mentio in Euange-
lio, vti ab æternitate præuidit, ita
tempore vocauit, in eundem finem
ex gratuito dilectionis affectu. Beati-
quotquot hic à filio Dei respici, eligi
vocari, trahi merentur: beatiores
quotquot vocantem audiunt, trahen-
tem sequuntur: beatissimi, quotquot
sic electi, vocati, tracti gratiæ voca-
tionis feruenter & constanter in fi-
nem vsque cooperantur. Affectus
ijdem.

De curato Dæmoniaco. Marc. I.

IV.

I. **I**ngressus Iesus Capharnaum, docebat Sabbathis in synagoga. Et stupuerunt super doctrina eius: erat enim docens eis, quasi potestatem habens, & non sicut scribe. Quos in testes suæ doctrinæ & socios prædicationis assumpsit, nunc verbo & exemplo instruit, qua ratione ijs salutem animarum sic inuigilandum, non plausum auditorum captandum, auresve mulcendo, sed veritatem simpliciter & neruose inculcando, & corda mouendo. Purus & sincerus zelus gloriæ Dei & animarum.

II. **E**t erat in Synagoga eorum homo in Spiritu immundo, & exclamauit dicens: Quid nobis & tibi Iesu Nazarene, venisti perdere nos. Scio quis sis, Sanctus Dei. Et comminatus est ei Iesus, obmutescere, & exire de homine. Et discernens eum spiritus immundus, & exclamans voce magna, exiit ab eo. Doctrinam traditam verbo, confirmat miraculo, simulque miserum à dæmone vexatum liberat, & præsentem ad credendum prouocat, quanto hæc omnia piæ miserationis & zeli salutis singulorum affectu? Gratitude, zelus gloriæ Christi & animarum.

Ii 33

III. Es

III. *Et mirati sunt omnes, ita ut conqui-
rerent inter se dicentes: Quidnam est hæc
quædam doctrina hæc noua: quia in pote-
state etiam spiritibus immundis imperat,
& obediunt ei? Verè magna Christi noui
legislatoris potentia, magna gratia,
magna misericordia, qua corpus ab
immundo spiritu liberat: At quantò
maior, qua animam diabolicæ seruitu-
ti mancipatam in libertatem filiorum
Dei vindicat! Quàm multis, & quo-
ties, hæc gratiam præstat! at quam
pauci, qui id seriò agnoscant, suspici-
ant, gratias agant, compensare stude-
ant? Gratitude pro restituta sibi gra-
tia, feruor proficiendi, & zelus gloriæ
Christi.*

V.

*De socru Simonis sanata. Mar. 1.
Matth. 8.*

I. *Egressus Iesus è Synagoga, venit in
domum Simonis & Andrea cum
Iacobo & Ioanne, ubi socru Petri teneba-
tur magnis febribus. Quàm pius est Chri-
stus magister & medicus, qui tam sol-
licitè quærit ignorantes, quos instru-
at, & infirmos, quos curet? non con-
tentus docuisse, & dæmoniacum libe-
raste*

rasse in Synagoga, sed idem voluit
 præstare nunc per se, olim per suos in
 domo Petri, id est, Ecclesia, ad mani-
 festandum suum zelum, quo non so-
 lum Iudæorum, sed & gentium om-
 nium salutem flagrantissimè sitiebat.
 Quanta eiusdem dignatio ad humi-
 lem Petri casam se demittentis, atque
 in ea tam varias corporalium languo-
 rum species curantis! at quantò ma-
 ior eiusdem in Ecclesia, quantumvis
 inter persecutionum procellas depres-
 sa, vsque ad consummationem sæculi
 permanentis, atque in eadem per suos
 vicarios & ministros omnis generis
 spirituales animarum morbos, non
 rarò etiam corporum infirmitates,
 persanantis! Gratitude, amor, zelus
 animarum.

*II. Rogatus à discipulis, accedens socium
 Petri, imperavit febrì, & apprehensa ma-
 nu eleuauit eam, & continuo dimisit eam
 febris, ac surgens ministravit eis. magnis
 illa mulier febris corporis ardebat;
 at maioribus animi, videlicet super-
 biæ, contumaciæ, inuidiæ, odij
 febris ingrata synagoga à Christo
 deserta æstuat. nec minoribus
 vitiis vitiorum & cupiditatum
 febris quæuis peccatrix anima
 diuina.*

diuina gratia destituta languet. Quanta benignitas Saluatoris, qui quam paratus fuit illam Mulierem à febribus corporis, tam paratus est quemuis peccatorem, modò id seriò desideret, & Sanctorum intercessionès interponat, à febribus mentis liberare, imò tantò paratior, quantò febres mentis febribus corporis sunt periculosiores. Quisquis ergò gratia Christi ab his vel liberatum te, vel præseruatum sentis, vide ne tantæ gratiæ vnquam ingratus sis. Gratitude, zelus feruentius se totum diuino obsequio impendendi.

III. *Vespere autem facto cum occidisset Sabæomnes, qui habebant infirmos, uariis languoribus, ducebant illos ad eum. Ille autem singulis manus imponens curabat eos.* Quantus zelus Christi gloriæ Patris, quanta sitis humanæ salutis, cui procurandæ, uti hunc diem, ita vitam omnem impendit! Nam sicut hoc die mane in Synagoga docuit; post meridiem Petri domum ingressus eius focrum sanauit: vesperi post solis occasum ingentem languidorum turbam istuc confluentem ab omni genere infirmitatum liberauit: sic ab ingressu in mundum usque ad annum trige-

trigesimum humilitatem & obedi-
 riam exemplo docuit : sub meridiem
 verò initium nouæ Ecclesiæ in 12.
 Apostolis, & paucis à se conuersis de-
 dit: post occasum solis, i. post mortem
 suam infinitam turbam cæcorum, e-
 nergumenorum, aliorumque varijs
 morbis & miserijs afflictorum ad Ec-
 clesiam suam conuolantium integræ
 sanitati restituit.

Quàm æquum igitur esset, vt & tu
 præsentem diem, & dies vitæ tuæ om-
 nes eius gloriæ propagandæ, perfe-
 ctioni propriæ & proximorum saluti
 procurandæ simili zelo consecrares?
 Zelus gloriæ Dei, & propriæ, alienæ-
 que perfectionis promouendæ?

De charitatis erga
 Deum præeminen-
 tia, & proprietati-
 bus.

70. VI.

De gradibus charita-
 tis, & medijs eam
 assequendi.

6. p. med. 8. VII.

5. Hebd.
post
Trinit.

Dominica VIII. Post Trinitatem.

I. De falsis Prophetis. Matth. 7.

Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces! Suspicienda hinc primùm reuerenter inscrutabilis sapientia Dei, tot falsos doctores, & animarum peruersores, hæreticos, hypocritas, politicos, Sathanæ ministros tolerantis; electosque suos ab his, vti à mundi blanditijs, carnis illecebris, dæmonumque versutijs assiduè tentari permittentis: Vt sic exercentur, probentur, & gloriosius curentur. Deinde similiter collaudanda & amplectenda infinita bonitas eiusdem, tam benignè fideles suos præmonentis, ne externa specie boni apparentis se ab illis decipi sinant, sed larua detracta, quales intus sint, attendant, sicque eorum laqueos declinent, idque ex insatiabili maioris eorum in gratia & gloria profe-

perfectus desiderio. Reuerentia erga occulta iudicia Dei, feruor seriu in spiritu proficiendi, omnesque hostium technas constanter eludendi.

II. *A fructibus eorum cognoscetis eos. omnis arbor, qua non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Ex eodem maioris nostri perfectus spiritalis desiderio seductores & lupos ouina pelle tectos cognoscendos monet ex fructibus, quos proferunt: cuiusmodi sunt conscientia inquietudo, liberior sacrarum legum & regularum transgressio, feruoris, pietatis, & disciplina imminutio, difficultatum in via perfectionis aggrauatio, propior in varias imperfectiones prolapsio, incōstantia in sanctæ vitæ proposito: simulq; inculcat ab omnibus fidelibus, veluti rationalibus arboribus, in domo Domini secus decursus aquarum gratiarum cœlestium plantatis, ni velint excidi, & in gehennam mitti, esse fructus diuino conspectu dignos proferendos; cuiusmodi sunt studium puritatis conscientia per expiationem peccatorum, mortificationem vitiorum, refrenationem passionum, victoriam tentationum;

profectus in solidis virtutibus per eorundem actuum internorum exteriorumque assiduam exercitationem: & intimæ cum Deo vnionis, incrementum per seriam actuum charitatis & resignationis frequentationem. Feruor seductores cauendi, & solidos perfectionis fructus progerminandi.

III. *Non omnia, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est.* Quod in simili citato declararat, nunc apertius inculcat, nempe vnicam ad regnum cœlorum viam esse exactam diuinæ voluntatis adimplerionem, quæ non est alia, quam maior sanctificatio nostra in via, maior glorificatio in patria, indeque, maior emergens cœlestis Patris æterna gloria. Feruor amplectendi & exequendi perfectissimè diuinam voluntatem, & proficendi in omni perfectione.

De secessu Christi ad orandum.

II.

Marc. I.

I. Iesus fessus pridie consolando & sanando in domo Simonis infirmos & energumenos, diluculo valde surgens egressus abiit in desertum locum, & ibi orauit. En boni Pastoris & veri zelatoris animarum exemplum! Pius Dominus diem totum & bonam noctis partem rudes docendo, ægros sanando, afflictos iuando impenderat, reliquam insuper noctis partem pro ipsidem vigilat & orat, idque quanto zelo, quanto omnes ad sui imitationem prouocandi desiderio! Feruor in exercitijs deuotionis, & in ministerijs charitatis erga proximos.

II. Prosecutus Iesum Simon cū socijs, cum inuenisset eum, dixissetq; ei: omnes quarunt te: Eamus, inquit, in proximos vicos, & ciuitates, ut & ibi predicem, ad hoc enim veni.

Quàm feruenter optat zelosissimus animarum Sponsus suum nos zelum æmulari, & cum Sponsa nos inuicem ad quærendas lucrandasq; animas excitare: Egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane surgamus ad vineas. *Cant. 7.*
Zelus laborandi in vinea Domini.

Ii 7

III. Et

III. *Et erat predicans in Synagogis eorum, & in omni Galilæa, & demonia eiciens.* En vt docet exemplo, ad quod inuitârat verbo, indefesso zelo vios & vrbes circumcurfando, oues errantes quærendo, ignorantes docendo, afflictis opitulando! Zelus proximos omni ope iuandi.

III. *De tribus volentibus sequi Christum, reiectis. Matt. 8. Luc. 9.*

I. **V**olenti Christo transfretare, accedens vnus Scriba ait: *Magister, sequar te, quocunque ieris. Et dicit ei Iesus: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Quanta dignatio Filij Dei, qui cum esset diues, tam pauper amore nostri voluit fieri! quanta gratia posse ac velle efficaciter nudum Iesum sequi? Estimatio & amor paupertatis, & gratiæ vocationis.

II. *Alius ait illi: Domine permittite mihi primum ire & sepelire patrem meum: Iesus autem ait illi: sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Quam verè pretiosa vocationis gratia, quæ nescit tarda molimina! Si eam quamprimum acceptare renuis, indignus ea censeris, nec te retardet erga parentes pie-

pietas, cum te affectum sanguinis exuere iubeat Veritas. *Per calcatum perge* Hieron. *patrem, & sic ad vexillum Crucis euola.* Ep. ad nam pietatis genus est in re tanti momenti Heliodor. esse crudelem. Mortificatio affectus carnalis, feruor sequendi vocantem Deum.

III. *Et ait alter: Sequar te Domine, sed* Luc. 9. *permitte mihi primùm renuntiare his, qui domi sunt.* ait ad illum Iesus: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* En quàm necessaria omnimoda abnegatio carnis, & sanguinis, volenti sequi vestigia Saluatoris! Vis ergo viuere & adherere vocanti Christo, morere quàm primùm & constanter carni, sanguini, mundo, nec ynquam respice retrò. Abnegatio omnis affectus carnis & sanguinis.

De duobus Dæmoniacois curatis.

IV.

Matt. 8. Marc. 5.

I. **D**Elatus Iesus in regionem Gerasenorum Galilæa oppositam, obuios habuit duos dæmoniacois de monumentis exeuntes, sauos & nimis clamantes: *Quid nobis & tibi Fili Dei, venisti huc ante tempus torquere nos? quos à dæmonibus liberauit.*

Quan-

Quanta potentia Saluatoris sic dæmones præsentia sua cruciantis, nutu solo eijcientis! quanta misericordia & benignitas eiusdem, energumenos illos à tanta legionis dæmonum tyrannide liberantis! Similem cuius peccatori exhibet, quem à peccato lethifero liberat. Gratitude, horror peccati, per quod peccans fit seruus diaboli.

II. *Damonibus rogantibus: Si eijcis nos, mitte nos in gregem porcorum, ait: Ite. Et ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare.* Quàm horrendà dæmonum tyrannis! Si sic sæuiunt accepta licentia in porcos, quantò crudelius, si ijs liceret, etiam in hac vita, sæuiunt in homines instar porcorum viuentes, immundos, ingratos, impios! quantò tandem atrocius in eosdem accepta plenà in eos potestate desæuiunt in altera! quanta gratia ab hac tanta tyrannide paternè præseruari, aut misericorditer liberari! Gratitude, horror cuiusuis peccati, sollicitudo euadendi pœnas inferni.

III. Incolæ moniti de his à pastoribus diffugientibus, exeuntes obuiam Iesu, rogabant vt transfiret à sinibus eorum. Eheu quot mundi carnisque
blan-

blanditijs capti cum stultis Gerasenis Christum æternam ijs salutem impetire paratū à se repellunt, ne vel temporalium bonorum, vel scædarum suarum voluptatum, aut speratarum dignitatum iacturam faciant? Abnegatio & odium mundi & concupiscentiarum eius.

De vocatione Matthæi. Matt. 9. V.

Luc. 5.

I. **I**esus vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine, & ait illi: *Sequere me.* Et surgens secutus est eum. Felix, quisquis meretur sic à Christo respici, tam efficaciter vocari, in momento à terrenarum cupiditatum pedicis expediri, in alium virum secundum cor Dei conuerti. quàm gratuita illa gratia! quàm immensa misericordia! Gratitude, amor, feruor cooperandi gratiæ.

II. *Et fecit ei conuiuium magnum in domo sua.* Quanto affectu gratitudinis pro gratia tam sublimis vocationis! quanto zelo alios publicanos & peccatores ideò inuitatos ad Christi agnitionem amoremque trahendi, vt eiusdē secum gratiæ mererentur consortes effici. Gratitude, zelus alios ad Christum trahendi.

III. Ie-

III. Iesus murmurantibus Phariseis & Scribis, quod cum publicanis & peccatoribus manducaret, respondit: *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.* Quis quantumvis enormis peccator, modo seridè respiscat, de venia consequenda desperet, si Filium Dei, cœlestem medicum, propter se ad sananda peccatorum suorum vulnera de cœlo venisse veraciter credat? imò, quem non inflammet ad studium extremæ perfectionis immensa eius misericordia, ut certò & in se completum confidat illud: *Vbi abundavit delictum, superabundavit & gratia?* Fido, feruens conuersio.

VI.	De fundamentis perfecti amoris Dei.	} 6. p. med. {	} 9
VII.	De internis amoris Dei actibus perfectè exercendis.		

9. Hebd.
post
Trinit.

Dominica VI. post Trinitatem.

De Villico iniquitatis. Luc. 16.

I.

I. Villicus diffamatus, quod dissipasset bona Domini sui, audiens

diensque: *Quid hoc audito de te? Redde rationem villicationis tua: iam enim non poteris villicare. quomodo fuerit confusus & consternatus? quam anxius de reddenda ratione & instanti officij priuatione? Quanto magis confundi & consternari deberet quiuis peccator, & tepidus seruus Dei abutens, aut oscitanter vtens bonis sibi concreditis, (cuiusmodi sunt dona naturalia corporis & animæ, vt valetudo, ingenium, doctrina, eloquentia; & bona fortunæ, vt opes, dignitas, potestas; & dona supernaturalia, vt gratia habitualis, virtutes infusæ, auxilia gratiæ actualis, gratiæ gratis datæ) audiens vel per internas inspirationes, vel per piorum librorum, Superiorum, Concionatorum admonitiones de his omnibus strictissimam reddendam esse rationem? O quoties audis: appropinquat tempus reddendi rationem talentorum tam malè & languidè impensorum: dum tempus habes operare bonum: venit nox, quando nemo poterit operari? & cheu dissimulas? Metus iudicij, seria emendatio, & feruor proficiendi.*

II. Villicus, quid sibi agendum, prudenter deliberans, cōcludit debitores

Domini.

Domini faciendos sibi esse amicos, cō-
donando aliquid de summa debito-
rum, idque confestim exequitur. Sic
peccator & tepidus seruus Dei, moni-
tus de instanti reddenda ratione, post
seriam deliberationem decernere de-
beret. deinceps talentis acceptis natu-
ræ, gratiæ, fortunæ impigrè vti, non
ad suam tantum spiritualement profectū,
sed ad maius quoque proximorum
emolumentum, idque eò feruentius,
quò certius nouit elapso tempore gra-
tiæ non fore amplius vllam, vel proxi-
mos operibus charitatis & misericor-
diæ demerendi, vel Deum precibus
placandi in æternum occasionem. Fer-
uor redimendi tempus perditum seria
pœnitentia, assidua charitatis & mise-
ricordiæ erga proximos, & pietatis er-
ga Deum exercitatione.

III. Laudauit Dominus villicum ini-
quiritatis, quod prudenter fecisset, *quia
filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in
generatione sua sunt.* Heu, quanto pru-
dentiores, sollicitiores, feruentioresq;
sunt filij huius sæculi in captandis um-
bris diuitiarum, honorum, voluptatū,
quibus in æternum interitum demer-
guntur, quàm filij lucis in quærendis
veris thesauris puritatis conscientiæ,
soli-

soliditatis virtutum, & augmenti gratiæ sanctificantis, quibus æternam felicitatem sibi promereantur! Zelus feruenter in omni perfectione & sanctitate proficiendi, & merita augendi.

De filia Iairi Archisynagogi resuscitata. II.
Matt. 9. Marc. 5. Luc. 8.

I. **I**esus cum à Iairo Archisynagogo, coram se prostrato, multum rogaretur, ut filia in extremis existenti manum imponeret, & sanaret, confestim relicta turba, qua circa ipsum erat, sequebatur eum cum discipulis suis. En quàm paratus verè benignus & misericors Dominus non solum afflicto huic parenti, sic se humilianti, cum tanto desiderio ac fiducia filia sanitatem desideranti, sed omnibus afflictis similiter ad se confugientibus opitulari! Quàm longè superat hæc eius benignitas omnem paternam maternamque benignitatem! hoc credis, & adhuc eius plusquam maternæ dilectioni diffidis? Filialis fiducia & recursus ad Christum in omni angustia.

II. *Cum in via Archisynagogo nuntiaretur: Quia filia tua mortua est, quid ultra vexas magistrum. Iesus audiro verbo hoc, ait ei: Noli timere, tantummodo crede, & sal.*

& sal.

Et salua erit. Quàm bonus Dominus, qui percutit & sanat, deducit ad inferos & reducit, voluit quidem hoc acerbo nuntio afflicti patris fidem probari, sed mox dignatus est eum suavissimè consolari. Sic nimirum semper cū Electis suis agere consuevit, & maximè cum ijs, quos insigni gratia hic dotare, & præcipua istic gloria sublimare decreuit. Resignatio in aduersis.

III. *Turba tumultuanti flentium & eulantiū ait: Quid turbamini? recedite, non est mortua puella, sed dormit. Et exclusis omnibus, solos secum assumptis Petrū, Iacobum, & Ioannem, & parentes puella, tenensq; manum eius ait: Puella surge: & continuo surrexit.* Quanta potentia Saluatoris verbo mortuam suscitantis? quanta benignitas votis parentū tam liberaliter annuentis? quanto stupore, quanto gaudio, quanta reuerentia illi cum filiola duodenni amoris & lætitiæ lacrymis inundantes gratias egerint, & se totos eius obsequio deuouerint? Si merito illi hoc præstitere pro sanitate corporis, & vita temporali recuperata; quid tibi præstandum pro sanitate mentis, & vita æterna, quæ quouis peccato graui perditur, vel hucusque conseruata, vel
 toties

toties restituta? Gratitude, feruor se
totum diuino obsequio perfectè im-
pendendi.

De duobus cecis curatis. Matt. 9.
vers. 27.

III.

I. **T**Ranseuntem Iesum secuti sunt duo
caci clamantes, & dicentes: Mife-
rere nostri fili David: cum autem venisset
domum, accesserunt ad eum caci, & dicit
eis: Creditis, quia hoc possum facere vo-
bis? dicunt ei: utique Domine. Magnum
malum cæcitas corporis, at multò ma-
ius malum cæcitas mentis: illa priuat
oculos corporis vsura lucis creatæ, &
colorum: hæc priuat. oculos mentis
vsura lucis increatæ, & rerum omni-
um ad æternam salutem pertinen-
tium? quanto ergò maius beneficium,
ab hac, quam ista liberari! Si ergò
tu ab hac liberari desideras, ne te pi-
geat cæcos istos sepius instanter Chri-
sto supplicantes imitari. etsi enim is
paratissimus est te voti compotem fa-
cere, nihilominus prius explorando
fidem, fiduciam & resignationē tuam,
cupit meritum tuum augere. Grati-
do, fiducia filialis, amor.

II. Tunc

II. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum. O quanta bonitas Domini, qui ideò distulit confestim eos exaudire, vt cum maiore eorum merito posset eis visum corporis simul & mentis restituere! Idem tecum misericordii consilio toties facit, quoties te, petentem à quacunque animi vel corporis molestia liberari, non statim exaudit. Spes longanimis, resignatio in manu diuinæ prouidentiae.

III. Et comminatus est illis Iesus, dicens: Videte ne quis sciat: illi autem exeuntes diffamauerunt eum in tota terra illa. Disce à Domino, fugam laudis humanæ, & excis illis gratitudinem & zelum diuinæ gloriæ.

IV. De sanato Paralytico iuxta piscinam probaticam. Ioan. 5.

I. Ascendens Iesus Hierosolymam ad celebrandum Festum Iudaorum, post templum pie visitatum, & gloriam aeternam Patri delatam, contulit se ad piscinam quinque porticus habentem, vbi erat iugens multitudo languentium, cacorum, claudorum, aridorum expectantium aqua motum, post quem motum ab Angelo certo tempore factum, quisquis ager primus ingrediebatur.

sanna

sanabatur. En quàm studiosè Filius Dei, è cælo descendens ad Nosocomium huius mundi quærit languentes, quos sanat, afflictos, quos erigat, mortuos, quos viuificet; quàm paternè ijs non vnâ, sed septem piscinas septem Sacramentorum, quibus ab omnibus animarum morbis curentur, & in spiritali vita conferuentur, prouidit? quàm auidè cupit ijs impertiri solarium & auxilium, modò ipsi iuari velint, & non ponant obstaculum? O vtinam languentes, cæci, claudi, aridi quoad animâ tam optarent à languoribus suis liberari, quàm paratus est cælestis Medicus ijsdem mederi? Sed eheu quoties languor ipse stultè amatur, Medicus impiè contemnitur! Gratitude, amor, feruor mentis sanitatem recuperandi & conferuandi.

M. Iesus in vnum; 8. annos habentem in infirmitate sua, præ tot alijs languidis misericordiæ oculos conijcit, rogans eum: vis sanus fieri? Quàm reuerenter hîc suspicienda, approbanda, collaudanda gratuita miseratio Saluatoris, vnum illum, ex tanta turba languentium sanandum deligentis? quanta illa gratia sic peculiariter à diuina benignitate respici? quanto maior ex

Nosodochio huius mundi spiritualiter morbidis refertissimo, vnum aliquem delegi, præ tot alijs, ex iisdem flagitijs, tenebris, miserijs misericorditer extrahi, atque in paradysum statûs perfectionis transferri? insuper vnum aliquem ex massa corruptionis tot myriadum pereuntium in filium gratiæ, in hæredem regni eligi! O altitudo diuitiarum sapientiæ, iustitiæ, & misericordiæ Dei, quàm inuestigabiles viæ eius! Reuerentialis admiratio & collaudatio diuinorum iudiciorum. Gratitude, amor tam gratuitus Benefactoris.

III. Christus languidum illum sanantem auidè expetentem, suamque imbecillitatem agnoscentem & dicentem: *Domine, hominem non habeo, vt, cum turbatus fuerit aqua, mittat me in piscinam.* Solo verbo ex plenitudine potentiæ suæ sanantem dicens: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula.* En quàm suauius misericordia Domini tam benignè languido illi omni ope humana destituto subuenientis, quasi diceret: *Ecce ego Filius Dei, pro te factus homo, sum ille homo, quem expetis, per quem iuueris, saneris, salueris.*

Toties eandem misericordiam tibi
& cui

& cuius peccatori exhibet, quoties ad pœnitentiam & gratiam suam in-
nitat Cuius cor, quantumuis durum,
non colliquescat, si tantam Sponsi sui
benignitatem erga se profundè expen-
dat? Quis insuper secum reputans,
quot animæ toties idèd pereant, quod
hominem, à quo instruantur, mo-
neantur, iuventur, non habeant, ad in-
timam compassionem, ardentemque
ijs, pro modulo suo, subueniendi ze-
lum non accendatur? Amor Iesu, ze-
lus animarum.

De eodem. ibidem.

V.

I. **S**ANUS factus sustulit grabatum su-
um, & ambulabat, quantumuis
esset dies Sabbathi, & Iudæis id prohi-
bentibus respondit: *Qui me sanum fe-
cit, ille mihi dixit: tolle grabatum tuum,
& ambula.* nesciens quis is esset. Iesus
enim declinarat à turba constituta in
loco. Imitanda in languido illo cœcæ
obedientiæ promptitudo, in Christo
humani plausus detestatio, & calum-
niatorum inuidiæ declinatio.

II. Iesus illum postea in templo in-
ueniens sic monet: *Ecce sanus factus es,
iam amplius noli peccare, ne deterius tibi*

K k 2

ali-

aliquid contingat. Quam feruenter ille languidus à paralyfi 38. annorum liberatus gratias Deo pro accepto beneficio egerit, & seriam vitæ emendationem proposuerit? quanto feruentius Christus pro patrato à se miraculo æternum Patrem magnificarit, & firmum constansque seriæ conuersionis propositum illi inculcarit? imò etiamnum omnibus toties inculcet, quoties eos à languoribus animæ liberat? Memento ergò quoties te sentis ad respiciendum excitari, hoc ipsum tibi à Christo insusurrari. Gratitude, serius conatus vitam emendandi.

III. Ille, sic à Christo admonitus, cum gratum se animo & verbo exhibuisset, reipsâ beneficium compensaturus Iudæis nuntiauit Iesum esse, qui se fecisset sanum, optans videlicet, illum ab omnibus agnosci, suspici, magnificari, pluresque similis gratiæ participes fieri. Quanto maiori affectu cuius peccatori à Christo vitæ gratiæ restituto id præstandum exclamando

Psal 50. corde, ore, ipso opere: *Docebo iniquas vias tuas, & impij ad te conuertentur.* Et:

Psal 65. *Venite narrabo omnes qui timetis Deum, quanta fecit Dominus anima mea.* Gratitude.

ritudo, zelus errantes animas ad Christam reducendi.

De externis actibus amoris perfectè exercendis.	} 6. p. med. {	II.	VI.
De Incitamentis amoris Dei.		II.	VII.

Dominica X. post Trinitatem.

10. Hebdom. post Trinitatem I.

De fletu Christi super Ierusalem.
Luc. 19.

I. **V**idens Iesus civitatem fleuit super illam dicens: Quia si cognovisses quæ te dessebat pius Dominus non solum horrendum ingratae urbis excidium, sed æternum potius tot ingratorum Iudæorum, imò omnium peccatorum reprobatorum interitum; insuper summam eorum omnium cæcitatem, & stupiditatem, uti & tuam, & omnium tepidorum collatis talentis naturæ & gratiæ tā oscitanter vrentiam supinam ingratitude & socordiam; & quidem eò amarius dessebat, quòd clarius omnia & singula omnium & singulorum peccata, & debita iisdem

Kk 3

cam

ram temporalia, quàm æterna supplicia, coram præuidebat. Quàm & tu amarè fieres, si hæc etate cognosceres, & serio expenderes. Contritio, compassio, zelus salutis animarum perentium.

II. *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt: & non relinquetur in te lapis super lapidem.* Horribilia sunt hæc à Christo prædicta, quæ omnia in excidio Hierosolymitano post quadraginta annos euenere: at quanto horribiliora sunt, quæ euenient proteruo peccatori absque penitentia descendenti, quem moriturum circumdabunt dæmones, & territabunt obiectis peccatis præteritis, nunquam expiatis, & pænis imminentibus coangustabunt, ad desperationem adigent bonis omnibus, quæ vnquam fecerint priuabunt: imò & illa, quæ euenient tepido seruo Dei serium in spiritu proficiendi studium de die in diem differenti, quem horrendè quoque tunc consternabit & coangustabit remorsus conscientiæ, insultus Sathanæ, timor gehennæ! quanto tandem horribiliora sunt, quæ manent reprobos in infero

inferno, & tepidos in purgatorio.
 Hæc qui pauet, cauet; qui negligit,
 incidit. Salutaris meus supplicij, fer-
 uor maturæ & seriæ conuersionis.

III. *Eò quod non cognoueris tempus visi-
 tationis tuæ.* En causa omnium isto-
 rum malorum temporalium & æter-
 norum, est cæcitas, & socordia in a-
 gnoscendo & amplectendo tempore
 miserendi & mærendi. O si pretium
 temporis visitationis tuæ & gratiæ ve-
 rè agnosceres, quàm sanctè singulos
 non modò dies, sed & horas & mo-
 menta impendere studeres, illud tibi
 continuè insufurrari existimans: *Non Eccl. 14.
 defrauderis à die bono, & particula boni
 doni non pratereat.* Seria cura temporis.

De electione duodecim Apostolorum. III.

Luc. 6. vers. 7.

I. *EXiit in monte, & erat perno-
 tans in oratione.* Si Filius Dei
 infinita sua sapientia omnia perspici-
 ens, cui Pater omnia cederat in ma-
 nus, totam noctem orationi impen-
 dit, & tam impensè æterno Patri ele-
 ctionem Apostolorum commenda-
 uit: quanto potiore iure nobis, ante
 quoduis opus anceps aut arduum ag-

K k 4

grey

grediendum, ad orationem erit confugiendum, & lumen auxiliumque à Patre luminum flagitandum? Quanto porro ille feruore pernoctarit in oratione Dei, quanta cum reuerentia & deuotione, quanta lacrymarum profusione nunc pro Apostolis, nunc pro totâ Ecclesiâ, nunc pro singulis Electis æternæ Patri supplicando? Suspicere, venerare, & imitare.

Rom. 8.

II. *Cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit. Quam inæstimabilis illa gratia Apostolicæ uocationis gratis impertita ijs, quibus ipse uoluit. Verè non est illa uolentis, neque currentis, sed Dei miserentis, ut eò conarentur esse gratiores, humiliiores, & in cooperando promptiores, quò se agnoscerent esse indigniores, abiectiores, & ineptiores. Quisquis simili gratia gratis à Deo præueniris, ad similem cū duobus illis Apostolis gratitudinem, humilitatem, & cooperandi promptitudinem obstringeris.*

III. *Cum autem de monte descendisset, multos agros & demoniacos curauit, & cuncta turba quærebat eum tangere, quia uirtus de illo exibat, & sanabat omnes.*
 Bonus Pastor, more suo, pro grege pernoctem

noctem in oratione excubans, per diem se totum operibus misericordiae & charitatis eidem gregi exhibendis impendit, abundè implens illud: *Ego pascam oves meas, quod abiectum erat, reducam; & quod contractum fuerat, alligabo; & quod infirmum fuerat, consolidabo;* atque hoc ipso nos instruit, ut ea, quæ nobis in monte contemplationis, seu in diuinarum rerum meditatione Deus suggererit, in praxin redigere, atque in utilitatem proximorum conuertere, insuper omnes odore exemplaris conuersationis ad Deum trahere satagemus. Zelus omnes oratione, verbo, exemplo ad Deum trahendi, omniq̃ ope iuuandi.

Ezech. 34

De sermone Christi in monte generatim. Matt. 5, Luc. 6. III

I. *Videns Iesus turbas ascendit in montem: & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius.* Quanta gratiæ prærogatiua cum discipulis illis peculiariter dilectis, præ tot millenis alijs in vallibus concupiscentiarum huius mundi derelictis euocari à Christo ad montem, seu statum sublimiorem Evangelicæ perfectionis, in quo liceat

K & s audi-

Exod. 19. audire verum Doctorem iustitiæ o-
Matt. 11. lim Patribus promissum, arcana con-
 lestia sapientibus & prudentibus hu-
 ius sæculi abscondita parvulis reuelan-
 tem, nec iam apparentem in forma ter-
 ribili antiquam legem timoris per me-
 diatores Angelos tradentem, sed mira-
 cum serenitate vultûs, & vocis suavi-
 tate nouam legem gratiæ & charitatis
 explicantem.

Isa. 30.

Verè beati-discipulorum oculi, qui
 meruerunt videre illum, de quo præ-
 dictum per Isaiam: *Et erunt oculi tui*
videntes præceptorem tuum. Verè beatae
 aures, quæ meruerunt audire illum, de
 quo ibidè: *Et aures tua audient verbum.*
Hac est via; ambulate in ea, & non de-
clinatis neque ad dexteram, neque ad sini-
stram.

Quàm beati quoque oculi & aures
 mentis illorum, qui ad perfectionis
 statum vocati, intus eundè Magistrum
 tam miris modis docentem, illumi-
 nantem, consolantem, arguentem, ad
 perfectiora exstimulantem audite, &
 quodammodo videre & sentire me-
 rentur! Gratitude pro gratia vocatio-
 nis, zelus eidem cooperandi.

II. In hoc monte Christus triplex mu-
 nus exercuit: 1. Doctoris, in quo sunt
 om-

omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi, scientiam perfectionis & salutis docendo. 2. Legislatoris, veterem legem aduersus deprauationes Pharisaicas declarando, & nouæ legis sublimitatē proponendo. 3. Consiliarij, perfectiora super debitū legis suadendo: idque quam excellenter præstitit, non tantum exterius docendo, sed interius quoque illuminando, atque adimplendum mouendo: quanto maioris æterni Patris gloriæ zelus, quanto maioris augmenti gratiæ & gloriæ desiderio? Quam sedulò quoque hic cœlestis Magister eadem in corde tuo, & cuiusque, ex turba hominum ad statum sublimiorem vocati, præstat, modò sit, qui sublimiora docenti, obscuriora explananti, perfectiora consulenti attendat, & alacres mentis aures porrigat. Gratitude, feruor parendi diuinæ inspirationi ad meliora propellenti.

III. Eleuatis oculis in discipulos, beatos eos prædicat, & octo Beatitudines, quasi octo scalas cœlestis gradus, quibus ad perfectionem ipsamque cœlestem Beatitatem se conscendendum, ijs explanat. Quod illis olim in car-

ne visibilis corporaliter præstitit; idem omnibus ad statum perfectionis vocatis etiam nunc spiritualiter præstare non desinit. O quanta felicitas, sic eleuatis oculis à Christo respici, Beatis nunc in spe, olim in re accenseri, & tam faciles & compendiosas mundo hucusq; incognitas ad cælum vias ab eodem audire mereri! Gratitude, zelus ad perfectionem in his octo Beatitudinibus comprehensam strenuè cõ-
tendendi.

IV. De i. Beatitudine. *Beati pauperes spiritu.*

I. **E**Xpende, in quo hæc paupertas spiritûs, quàm infallibilis veritas primum in cœlesti scalâ gradum collocat, potissimum consistat, nimirum in perfecto contemptu mundi & sui; seu in voluntaria omnium, quæ in mundo quis habuit, aut habere potuit, aut voluit, quoad affectum & effectum, amore Dei & perfectionis, abdicatione, & sui ipsius in abyssum nihil sui profundissima depressione.

Quis mundo persuadeat, illum esse beatum, qui spontè se, non solum omnibus temporalibus spoliatur, diuitijs, honoribus, voluptatibus, quibus

frui poruisset, renuntiat: sed etiam, amore Christi, propriam voluntatem ac iudicium, cum omnibus affectibus ac desiderijs terrenis, abnegat; qui insuper se vilem, imò vilissimum omnium agnoscit, & reputat, & talem se haberi & proclamari optat & gaudet? Quisquis is est, magnus est, & verè beatus coram Christo, quantumvis parvus, abiectus, & miser reputetur à mundo. quātum ergò donum Dei scire, velle, posse hisce pauperibus spiritu accenseri? Amor & studium perfectæ paupertatis & humilitatis.

II. Quàm eximium huius vtriusque virtutis tota vita nobis præbuerit exemplum filius Dei, natus in stabulo, labore manuum victitans, in prædicatione, ubi caput reclinaret, non habès, nudus in cruce moriens; item in Incarnatione se exinanians, vitam priuatam & contemptam 30. annis agens, calumnias, sannas, probra sustinens, ad mortem se humilians. Zelus imitandi.

III. Quale huic paupertati spiritus paratum sit præmium, videlicet prægustatio quædam regni cœlestis in hac vita, ob carentiam curarum sæcularium, & abundantiam consolationum

num cœlestium: & participatio eiusdem regni cum filio Dei in altera.

En quanto fœnore Christus modicum id refundit, quod amore eius quis relinquit, eleuans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem, & collocans cum principibus populi sui. Quo dolore hoc videbunt olim viri diuitiarum, quibus idem Christus comminatur. *Va vobis diuitibus, qui nunc habetis consolationem vestram! Gra- titudo zelus excellendi in paupertate, & humilitate.*

V. De 2. Beatitudine. *Beati mites.*

EXpende, qualis mansuetudo pro secundo scalæ cœlestis gradu à Christo assignetur, talis nempe, qua quis 1. Omnibus etiã asperè & iniuriosè sibi obluentibus suauem placidum, & affabilem se vultu, alloquio, moribus, & affectu cordis exhibet. 2. Qua calumniantibus & opprimentibus se cedit, dans locum iræ, & refrenans cupiditatem vindictæ, & si percussus fuerit in vna maxilla, paratus est præbere & alteram. 3. Qua malum pro malo non reddens, sed in bono malum vincens, vindictam, quam

quantumuis iustam, pro illata iniuria, nullam flagitat, sed eandem operibus charitatis insuper compensat, idque purè propter Deum, feruenter, & constanter, tam quoad affectum cordis internum, quam opus externum.

Quàm rara hæc virtus & contempta in terra, quam mundus non agnoscit: at quàm cara & pretiosa in cœlo, vnde eam increata Sapientia detulit! ô quale ad cœlum compendium crebrum eius exercitium! Feruor hos actus mansuetudinis perfectè frequentandi.

M. Quàm perfectè Christus hos prædictos actus frequentarit, nobisque exemplo suo inculcarit, tum tota vita, tum potissimum tempore prædicationis, inter tot calumnias, obtreptiones & persecutiones; & tempore passionis, inter tot iniurias, fannas, cruciatus; qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniuste. Quam perfectè impleuit id, quod prædixerat Isaias: Non erit tristis, neque turbulentus, non clamabit, neque audietur vox eius foris, calamum quassatum non conteret, & limum fumigans non extinguet! Quam meritò

1. Pet. 2.

Isai. 42.

ergo.

ergo audiendus nobis in clamans: *Dis-
cite à me, quia mitis sum & humilis cor-
de?* Zelus Christum æmulandi.

III. Quale præmium mitibus pro-
missum sit, videlicet secura & stabilis
possessio terræ viuentium, seu æterna
& immutabilis beatitudinis in patria,
& eiusdem prælibatio, quoad miram
animæ omniumque affectum tran-
quillitatem, in via: quale è contra ma-
neat supplicium immites, in hac vita,
perpetua mentis inquietudo, & mise-
rabilis suarum passionum seruitus: in
altera, æterna rabies & seipso dilani-
antium eiulatus. Feruor in mansue-
tudine proficiendi, & defectus ei op-
positos cauendi.

De Natura, pro-	}	6. p. medit.	}	14.
prietatib. & in-				
citamentis gau-				
dij spiritualis.				
De Actibus, &	}		}	13.
medijs gaudij				
spiritualis.				

Domi-

Dominica XI. Post Trinitatem. II. hebdomada
post
Trinit.
I.

De Phariseo & Publicano. Luc. 18.

I. **E**Xpende, in quo deliquerit superbus Phariseus à Christo reprobatus, videlicet 1. Quod se præsumptuose iustum reputarit, quod soli Deo notum; alios temerè iniustos iudicarit, contra arcanum eiusdem Dei iudicium. 2. Quod se ipsum laudarit, sua bona opera recensendo, sibi suæque industriæ ea ascribendo: alios vituperarit, eorum peccata enumerando, eorumque seecordia & malitiæ illis imputando. 3. Quod se alijs prætulerit, nimiumque in animo extulerit, ob sua merita; aliosque sibi longè postposuerit, nimiumque depresserit, ob sua demerita. O vtinam nulli hodie tales Pharisei, tam abominabiles Deo, Angelis, & hominibus reperirentur! Cave ne his iudicio diuinæ sapientiæ scrutantis corda & renes accensearis. Horror superbiæ, & feruor cauendi hos eius actus.

II. In quo placuerit Christo humilis Publicanus.

Publi-

Publicanus, sic ab eo laudatus. 1. Quod ex profunda cognitione suae vilitatis, indignitatis, ac malitiae, non ausus fuerit oculos ad caelum leuare. 2. Quod confessus sit se nihil boni ex se fecisse, nec facere posse, omnia bona Deo, sola peccata sibi ascribendo, atque ex intimo corde dicendo: *Deus propitius esto mihi peccatori.* 3. Quod se ipsum, ut peccatorem, qualem se intus reputabat, foris haberi, & reputari voluerit, à longè stando, tanquam aliorum consortio esset indignus, & pectus suum percuriando. Hos actus humilitatis quò feruentius æmulari studueris, eò benignius ab eo, qui humilia respicit, & alta à longè agnoscit, respici mereberis. Feruor proficiendi in humilitate.

III. Quantum differant iudicia hominum exteriora tantum intuentium, à iudicijs intuentis abscondita cordis: Quis hominum non prætulisset Pharisæum, tot bonis operibus eminentem, Deoque gratias agentem, Publicano, peccatis infami, pectus percurienti? & quàm fixum maneat decretum Dei, qui uti exaltare humiles, & humiliare superbos ab æternitate statuit, sic in tempore id ipsa re ipsa
pra-

præstare non desinit. Admiratio iudiciorum Dei, zelus in humilitate excellendi.

De 3. Beatitudine. Beati qui
lugent.

II.

I. **E**Xpende, qualis luctus hic à Christo tertius assignetur scalæ cæli gradus, nimirum triplex. 1. Luctus compunctionis ob Deum, tor peccatis admissis offensum, ob pronitatem peccandi, & periculum in plures saltem quotidianos defectus relabendi. 2. Compassionis, ob tantam multitudinem hominum in peccatorum cœno hærentium, sub graui onere variarum afflictionum ac miseriarum mentis & corporis gementium, ac tandè absque vlla spe liberationis æternum pereuntium. 3. Deuotionis, ob prolongationem ærumnosi exilij, crebram interruptionem actualis amoris Dei, & longam absentiam cœlestis Sponsi.

Quàm pretiosæ hæ triplices lacrymæ, non tam oculorum, quàm cordiû, si non tantum internis affectibus exprimantur, sed in expiandis cauendisq; peccatis, in iuuandis afflictis proximis,

in recusandis huius mundi lenocinijs, amore cœlesti Sponsi, re ipsa demonstrantur? Zelus hos triplices affectus seu lacrymas, contritionis, compassionis, deuotionis per actus internos externosque frequentandi.

II. Quam perfectè Christus has eadem triplices lacrymas tota vita frequentarit, qui legitur fleuisse sapius, risisse nunquam, & quidem eò intensius, quò profundius fontes, seu causas earum supra insinuatatas penetrabat, & quò tenerius æternum Patrem diligebat, omniumque hominum maiorem perfectionem, gratiam & gloriam ardentius sitiebat. Zelus in his Christum imitandi.

III. Quàm sublime præmium feligentibus sit promissum, videlicet plenum solatium, quod omnè luctus causam fundicè tollit, & ineffabili gaudio mentem perfundit: quod pregustare incipiunt subinde in hac vita, plenissimè illo inebriabuntur in altera, vbi nullum erit peccatum, quod defleant, nullum periculum, quod caueant, nulla miseria proximorum, cui condoleant, nullius absentia boni, quod desiderent. At qualis pœna maneat eos, de quibus Christus, dicit:

Vbi

Va vobis, qui nunc ridetis, quia lugebitis *Matt. 3.*

& flebitis, videlicet hic angor & mœror ob remorsum conscientia & metum mortis, iudicij, & gehennæ; istic fletus æternus & stridor dentium, quando experientur in se compleri illud: *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Amor sanctorum lacrymarum, horror mundanorum gaudiorum.

De 4. Beatitudine. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. III.

I. **E**Xpende, quid sit illa fames & sitis iustitiæ, quartum in scala cœli obtinens locum, videlicet 1. Vehemens, efficax & constans desiderium contendendi ad maiorem iustitiam, tum habitualement, qua anima sanctificatur, tum actualement, quæ in exercitio omnimodæ perfectionis versatur; seu zelus proficiendi in conscientia puritate, in virtutum soliditate, in arcta cum Deo vnione, & voluntatis nostræ cum diuina conformitate, magno constantique conatu secundum debitum iustitiæ, & mensuram communicatæ cuique gratiæ. Et quidem purus, quo ad

ad

ad intentionem: magnus, quoad intentionem: constans, quoad difficultatum victoriam, & durationem: insatiabilis, quoad maiorem perfectionem. 2. Similis zelus ulterius aspirandi ad eximiam in triplici perfectione prædicta præminentiam, supra debitum iustitiæ, & vires naturæ & gratiæ, per heroica desideria Deo perfectissime in omni possibili sanctitate & iustitia huic vitæ congrua placendi. 3. Similis zelus anhelandi ad perfectam iustitiam patriæ propriam, omni natio carentem, qua beati in similitudinem Dei infinite iusti, sancti, perfecti, quem clarè vident, beatè amant, & securè possident, plenè transformantur.

Quàm sublimis hic ad cælum gradus, sed & quàm facilis amanti & divinæ gratiæ cooperanti! Felix, quisquis peculiari Spiritus sancti instinctu ad illum conscendendum impellitur: felicior, qui prompto, humili, gratoque animo impellentis ductum sequitur: felicissimus, qui in continuo constantique hunc gradum conscendendi conatu moritur. Zelus purus, intentus, constans, insatiabilis proficiendi in triplici via perfectionis.

II. Ex.

II. Expende, quàm eximie Christus hunc zelum maioris in omni iustitia, sanctitate & gratia progressus continuè vrgendi exemplo suo nobis inculcarit, licet ipsum his proficere nõ decuerit: quam ardentè vberimam nobis gratiam proficiendi promeruerit: quam auidè, vt strenuè eius gratiæ cooperaremur, desiderarit, idque tota vita à primo instanti conceptionis, vsque dum in cruce clamans: Sitio, expiraret. Zelus imitandi.

III. Quàm grande præmium sic iustitiam licentibus sit propositum, videlicet, plena satietas in cælo, absque ullius famis & sitis periculo, omni-que fastidio, & perfectam securamque æternarum deliciarum perfruitionem, cum experirentur in se impleri illud: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Et: *Inebriabuntur ab ubertate domus tue, & torrente voluptatis tue* Psal. 16.

potabis eos Cuius beatæ satietatis aliqua etiam iisdem in terris indulgetur prælibatio, ob augmentum meritorum & gratiæ, ob frequentiam consolationis diuinæ, ob spem retributionis æternæ.

At quã horrida manet sitis & fames apud inferos eos, qui, nihil de hac
sacra

sacra

sacra fame & siti iustitiæ solliciti
mundi delicijs, carnisque illecebris
avidissimè inhiant, & nihil, nisi novas
voluptatum umbras captant, & som-
niant, quando cum diuite Epulone
guttulam aquæ petente æternum vo-
ciferabuntur: *Crucior in hac flamma!*
Quàm prælibare etiam in hac vita,
velint, nolint, coguntur, dum frustra,
quod optant, captant, cum filio pro-
digo siliquis porcorum inhiant, ster-
cora amplexantur, & nullis vnquam
cupedijs, nullis delicijs saturari se
posse experiuntur. Feruor proficiendi
& media necessaria seriò adhibendi,
horror voluptatum & vanitatum
mundi.

IV. De 5. Beatitudine. *Beati mise-
ricordes.*

IEXPENDE, in quo consistat miseri-
cordia, quinto loco in scala cœli
à Christo collocata, videlicet in ope-
ribus misericordiæ tam spiritualibus,
quam corporalibus exercendis 1. La-
tissimè, quoad omnes omnium, quo-
rumcunque proximorum, etiam in-
gratorum, & inimicorum, miserias,
mentis

mentis & corporis affectu & effectu subleuandas. 2. Purissimè, quoad intentionem honoris, amoris & beneplaciti Dei, qui eos condidit, dotauit, redemit, hucusque conseruauit, & porro conseruare, sanctificare, & glorificare paratus est. 3. Intensissimè, quoad eximium commiserationis & dilectionis affectum. 4. Constantissimè, quoad omnes difficultates in hoc exercitio, etiam cum vitæ periculo frequentando, & diu continuando occurrentes, inuicto animi robore peruincendas. 5. Infatiabilissimè, quoad desideria vires longè excedentia, semper perfectius eadem misericordię opera exercendi.

O quàm plana & securo talis misericordię exercitatio, est ad cœlum via! Feruor perfectè obeundi opera misericordię.

II. Quàm immensa, pura, intensa, constans, & infatiabilis fuerit misericordia Filij Dei ex misericordia Incarnati, de quo Apostolus: *Habemus Pontificem, qui possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia.* Heb. 4. Et D. Lucas: *Qui pertransijt benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo.* quàm meritò nobis ab ipso discendum: *Estote* Luc. 6.

*misericordes, sicut & Pater vestrorum coelestium
misericors est: Zelus æmulandi.*

III. Quale præmium misericordibus
sit promissum, videlicet in hac vita
liberalis culparum commissarum con-
donatio, a committendis misericordibus
præservatio, & benigna a multis mi-
serijs mentis & corporis liberatio: in
altera benignissima pœnarum restan-
tium relaxatio, plenissima ab omnibus
omniò malis vindicatio, & libera-
lissima omnium donorum gloria im-
partitio; & quidem secundum me-
suram operum misericordiae exhibi-
torum, iuxta illud: *In qua enim men-
sa mensi fueritis, remetietur vobis.*
quale immisericordibus intentatum
supplicium, videlicet iudicium sine mi-
sericordia illi, qui non fecit misericordiam
adque tam in tempore quam æterni-
tate. Desiderium in misericordiae
operibus excellendi, &
contrarios defectus
præcauen-
di.

De 6. Beatitudine. *Beati mundo* V.
corde, quoniam ipsi Deum
videbunt.

I. **E**Xpende, qualis mundities cordis
 sextum gradum constituat scalæ
 celestis, nimirum eximia puritas ab
 omnibus ijs, quæ quoquo modo cor
 possunt coinquinare, cuiusmodi sunt
 1. Peccata graua & leuia, maxime
 magis voluntaria. 2. Viciosi habitus,
 immortificatæ passiones, periculosæ
 tentationes. 3. Inordinatæ erga quasuis
 creaturas affectiones. 4. Quicquid
 natum est angelicam mentis & cor-
 poris puritatem labefactare, aut im-
 minuere. 5. Quicquid puræ inten-
 tionis oculum vitare potest, aut ob-
 fuscare.

Quisquis ergo beatis mundo cor-
 de cupit accenseri, indefessa vigilantia
 satagat 1. Expiare omnia peccata com-
 missa, & præcauere committenda. 2.
 Eradicare omnes vitiosos habitus,
 refrenare indomitas passiones, præ-
 cauere prudenter, & repellere
 fortiter omnes tentationes. 3. Exue-
 re omnem inordinatum affectum
 erga omnia creata, quatenus minuere

possunt amorem erga creatorem.
 Æmulari Angelorum innocentiam
 & pudicissimam in terris conuer-
 tionem. 5. Purissimam in omnibus
 agendis omittendisve conari conse-
 uare & frequenter renouare intentio-
 nem.

O quam rarum donum Dei, ad aspi-
 dum tam eximiæ puritatis studium
 peculiaribus gratiæ excitantis auxi-
 lijs exstimulari? Si id intesentis, gra-
 tias age, & strenuè collabora; si no-
 sentis, vt sentire merearis, opta, & e-
 flagita. Feruor acquirendi & con-
 seruandi eximiam mentis purita-
 tem.

Sap. 7.

II. Quàm absolutum Christus no-
 bis præbuerit huius summæ innocen-
 tiæ & puritatis exemplum, qui
candor lucis aternæ, speculum sine macula
 qui longissimè ab omni inquiname-
 to absuit, utpotè impeccabilis & na-
 turalis filius Dei.

Quis latitudinem, longitudinem
 sublimitatem, & profunditatem eius
 innocentia, puritatis, & sanctita-
 tis, utpote infinitæ, creato intellectu
 dimetiatur? Admiratio, & pro modo
 nostro, imitatio eius incomprehen-
 sibilis puritatis.

III. Quàm excellens præmium mundis corde sit promissũ, videlicet, beatifica visio Dei, quæ est essentialis beatitudo in cœlis; & clarior cognitio Dei, diuinorum attributorum, & mysteriorum fidei in terris. Contra, immundi corde æternum priuabuntur visione Dei in æternitate foras profecti cum eanibus & impudicis; & clara cognitione diuinorum mysteriorum in tempore immerfi suis tenebris & spurcitijs. Feruor in puritate cordis proficiendi, & horror culpas & pœnas immundorum incurrendi.

Apoc. 22.

De Natura, conditionibus, & gradibus perfectæ resignationis.
 De fundamentis perfectæ resignationis.

} 15.
 } 6. p. med.
 } 16.

VII.

VII.

LI 31

DO.

12. hebd. Dominica XII. Post Trinitatem.
post Trinitatem.

I. De surdo & muto. Marc. 7.

I. **A**D dicunt ad Iesum surdam & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Miserabilis fuit sortis illius surdi & muti, qui talis semper mansisset, nisi per alios misericordiam homines ad Christum adductus fuisset. At quantum miserabilior sortis fuit totius generis humani ob Adæ peccatum, auribus & lingua spiritualiter capti, semperque fuisset, nisi per sanctorum Patrum & Angelorum suffragia, & potissimum per B. Virginis potentissima desideria, acceleratio Adventus Messiae, à quo curaretur, impetrata fuisset! Similiter quanto quoque miserabilior est conditio cuiuslibet peccatoris, per proprium quodlibet gravius delictum surdi & muti redditi, ut nec diuinas inspirationes audire, nec concionatorum aliorumque piorum admonitiones capere, nec propriae conscientiae stimulos sentire queat.

nec in super os tam mentis, quam corporis ad laudes & gratias Deo persolvendas, ad peccata confitenda, ad colloquia pia miscenda, ad proximorum salutem procurandam aperire valeat: qui talis quoque semper maneret. nisi illi sanctorum Patronorum, maximè Matris misericordiæ, & aliorum Dei servorum, charitas subveniret. Grato humiliq; animo similem tibi gratiam agnosce, eamque compensare, aliosque peccatores eiusdem participes efficere stude. Humilitas, gratitudo, zelus alios spiritualiter surdos & mutos ad Christum adducendi.

11. Iesus apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & suspiciens in cælum ingemuit, & ait illi.
 Ephpheta. En, quem solo nutu sanare poterat, quàm operosè, quot ritibus adhibitis curat! ad indicandam spiritualis animæ morbi, id est, peccati gravitatem, curationis difficultatem, & curandi rationem. Qui enim à peccato quovis contracto vult liberari, opus est 1. Ut pravam societatem & relabendi occasionem fugiat. 2. Ut gratiam Spiritûs sancti, qua diuinis inspirationibus possit obsequi, & quæ ad

sanitatem mentis necessaria sunt, assequi, obnixè impleret. 3. Ut de culpis admisis doleat, earumque indulgentiam de cœlo expectet. 4. Ut per confessionem easdem expiet. 5. Ut sic expiatus iam sanatus bonis operibus ferventer compenset.

Quis hæc prompto hilariq̄ue animo præstare recuset, si, quanto labore peccatorum suorum curatio Christo stiterit, secum attentè perpendat. Gratitude seria pœnitentia.

III. Et præcepit illis, ne cui dicerent quanto autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, dicentes: Bene omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.

Quantus ille Christi amor intima humilitatis, quantus horror humanae laudis: quantus illorum è contra zelus gratias tanto benefactori referendi, eius gloriam longè lateq̄ue propagandi! stude utrumq̄ue æmulari eo ferventius, quò omnia quoque tecum bene hæcenus fecisse Dominum cog-

noscis evidentius. Humilitas,
gratitudo, zelus
gloriæ Christi.

sti.

De 7. Beatitudine. *Beati pacifici,* II.
quoniam filij Dei vocabun-
tur.

I. **E**Xpende, quid septimus scalæ cœlestis gradus, triplex scilicet pax, cum Deo, secum ipso, & cum proximo exigit. 1. Ut, qui beatis pacificis vult annumerari, Deo perfectè in omnibus subiectus sit, idem cum eo velit, & nolit. 2. Ut cum proximis pacè, per iudiciorum & voluntatum consensionem, foueat. 3. Ut propriæ quoque conscientiæ pacem & mentis tranquillitatem, peccata quæuis sollicite expiando, & cauendo, prauos habitus extirpando, passiones mortificando procurare & conseruare studeat; Insuper hanc quoque triplicem pacem in proximis, quibuscunque potest, impensè promouere satagat. Quot vias & rationes hæc præstandi tibi Deus pacis suggerit, quot auxilia gratiæ obtrudit? Et quam oscitanter his vteris? agnosce, erubescere, efferuesce ad seruum huius triplicis pacis in te, alijsque promouendæ studium.

II. Quam sollicitè Christus rex pacificus, qui est pax nostra, qui fecit vtraq; *Eph. 2:*
Ll 5 unum

Col. I.

unū: qui per sanguinem suum pacificavit omnia, siue qua in terris, siue qua in oculis sunt, huius triplicis pacis studium verbo & exemplo nobis inculcarit, quam copiosam gratiam ad id necessarium promeruerit, cum desiderio imitandi.

III. Quam eximium præmium pacificis sit repromissum, videlicet in hac vita pax, quæ exsuperat omnem sensum, propria eorum, qui audiunt in cordibus suis spiritum adoptionis filiorum Dei clamantem: *Abba pater*: in altera plena securaque possessio hereditatis æternæ filijs specialiter dilectis debitæ & ab æterno præparatæ.

Quam terribilis è contra pœna pacis huius osoribus parata sit, intolerabilis mentis inquietudo in hac vita & inexplicabilis rabies in altera.

Amor pacis & concordie,
horror rixæ & discordie.

(?)

Di

De 8. Beatitudine. Beati, qui perse-
cutionem patiuntur propter
iustitiam. I II.

I. **E**Xpende, quod octauus & supre-
mus scalæ cœli gradus, tolerantia
videlicet persecutionum, vt perfectâ
sit, requirat 1. Vt latissima sit, seu, vt
se extendat ad omnis generis persecu-
tiones, obrectationes, molestias, ca-
lumnias, iniuriasque, siue corpus, siue
famam, siue externorum bonorum
rapinam concernentes, vndecunq̃ue,
siue ab amicis & domesticis, siue ab
inimicis & alienis, siue à dæmonibus,
siue aliunde inferantur. 2. Vt purissi-
ma sit, quoad intentionem diuini ho-
noris, amoris & beneplaciti in his
omnibus persecutionibus perpetien-
dis, & quoad causam earundem illa-
tarum, quæ debet esse virtus & iusti-
tia, non aliqua vera culpa. 3. Vt inten-
sissima sit, qua non solum patienter &
libenter, sed & gaudenter prædicta o-
mnia perferantur. 4. Vt fortis & con-
stans sit eadem vsque ad mortē inter
maximas etiam persecutionum, iniu-
riarum, eruciatuū procellas perseue-
rans. 5. Vt insatiabilis sit, quam aquæ

multæ tribulationum non extinguat,
nec flumina obruant:

Hæc pretiosissima gemma est,
æquivalens multis alijs bonorum
operum spontè assumptorum thesau-
ris, quæ ingens gloriæ pondus breui
tempore comparatur. Amor omnium,
quæ ad Crucem Christi pertinent.

II. Quàm absolutum nobis huius
sublimissimæ tolerantia omnis ge-
neris persecutionum, iniuriarum,
cruciatuum reliquerit Christus ex-
emplum, in infantia gladium Hero-
dis fugiens; tempore prædicationis
tot obtreccationes & calumnias susti-
nens; & potissimum tempore passio-
nis tanquam propadium hominum,
caput seditiosorum, princeps latro-
num in cruce moriens. Zelus Chri-
stum caput nostrum imitandi.

III. Quale persecutionem sic pati-
entibus sit propositum præmium,
videlicet in hac vita ineffabile gaudi-
um in summis angustijs, ærumis &
tormentis communicari solitum; in
altera amplissimum inæstimabile
gloriæ brauium, iuxta Apostolum:

2. Cor. 4. quod in presenti est momentaneum, & le-
ue tribulationis nostræ, supra modum
sublimitate æternæ gloriæ pondus opera-
tur in nobis.

Quam

Quàm iure ergò pijs, quibus ipsa Veritas ait: *Beati estis cum maledixerint vobis homines, gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo*, in omni tribulatione gaudendum, tum ob spem amplissimæ remunerationis, tum ob affluentiam cœlestis consolationis? E contra quàm meritò illis dolendum & plangendum, quibus cōminatus eadem Veritas: *Va cum benedixerint vobis homines*, tum ob carentiam omnis solatij, tum ob timorem impendentis supplicij? Amor & desiderium multa ardua patiendi, horror & fuga prosperitatum blandientis mundi.

Luc. 6.

De primo Apostolica vocationis munere, purgandi

IV.

E *Vos estis sal terra*. Expende, primum munus ad statum Apostolicum vocati, immò cuiusque Christiani esse instar salis, quod à corruptione præseruat, purificat, & condit, omnes sibi commissos, imò omnes proximos, pro mensura gratiæ sibi datæ, à putredine peccatorum incorruptos præseruare, corruptos Christo sanandos præsentare, ad contractas maculas operibus pœnitentiæ expiandas,

L 1 7

alij

alijsque pijs obsequijs compensandas excitare, idque verbo, exemplo, consilio, auxilio, orationis presidio. Quod, ut solidè fiat, circa seipsum prius ab omni putore vitiorum præseruandum, purgandum, & sale pœnitentiæ, & bonorum operum condiendum aduigilet necesse est. Zelus propriæ alienæque puritatis acquirendæ, augendæ, conseruandæ.

II. Quàm præclarè Christus vtrumque non solum docuerit verbo, sed multò magis exemplo, tanta vitæ innocentia omnes in sui admirationem trahendo; tanto feruore peccatores ad pœnitentiã inuitando, eorum vulnera sanando, ad seriam emendationem extimulando, in se demum alienas culpas tam atrociter luendas suscipiendo.

Quanto ergò feruore eius exemplo eximiæ puritati & innocentie vitæ studere debet is, qui quasi inter bruta animalia petra salis debet esse in populis, ut, quisquis illi iungitur, quasi è salis tactu æternæ vitæ sapore condiatur. Zelus Christum imitandi.

III. Quale in hac vita solatium, quale in altera brauium sit repositum ijs, qui multorum animas à putredine peccato-

catò.

eatorū liberant, vel præseruant: quale in altera supplicium experiantur, qui id præstare negligunt, vel etiam prauis moribus, quos à corruptione præseruare debuerant, corrumpunt, qui foras istic instar salis infatuati in sterquilinum damnationis mittentur, & hic ab omnibus tanquam propudia hominum conculcabuntur: Quanto perè ergò cuique cauendum, ne ijs accenseatur, de quibus D. Gregor. conqueritur: *Nullum puro ab alijs maius præ iudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla prauitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. Zelus boni exempli, horror scandali.*

D. Greg.
ho. 17. in
Luc. 10.

De secundo vocationis Apostolica munere, illuminandi.

V.

I. **V**os estis lux mundi. Expende, alterum munus viri Apostolici esse, proximos illuminare, seu ad feruens studium virtutum, quibus animæ illuminantur, & exornantur, extimulare, idque non solum instruendo, adhortando, orando, sed reipsâ virtutum splendore omnibus prælucendo.

do.

do, idque purè propter Deum, constanter, infatigabiliter: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.* Quod ut rectè fiat, necesse est, ut ipse prius eximio virtutum

D. Bern. serm. de S. Iohanne Bapto. splendore fulgeat, & sic verè erit cum D. Iohanne Baptista lucerna ardens & lucens: nam solum ardere parum est, solum lucere vanum, ardere simul & lucere perfectum est. Zelus proficendi in virtutum soliditate, aliosque ad idem excitandi.

Ioan. 9. II. Quàm diuinè Christus hæc duo coniunxerit, ac proinde meritò dixerit: *Ego sum lux mundi, quam diu in mundo sum, lux sum mundi.* Quam felix, qui eum serio imitatur, ut ijs adscribi stellis mereatur, quæ lumen suum ab hoc iustitiæ, virtutis, & perfectionis sole mutuatæ dederunt lumen in custodiis suis, alijs virtutum exemplis prælucendo, & luxerunt ei cum incunditate, qui fecit illas, in se splendorem earundem virtutum conservare, & augere satagendo. Zelus Christum in eximio virtutum studio imitandi.

III. Qualem internam mentis serenitatem Pater luminum ijs, qui luceræ eximie ardentes & lucentes esse ni-

runtur, soleat impertiri, cum vident
 subindè tantum numerum vestigia sua
 feruenter sequentium: & qualem in
 futuro peculiaris gloriæ aureolam, cū
 se mirabuntur inferi ordinibus eorum,
 de quibus Daniel: *Qui docti fuerint ful-*
gebunt quasi splendor firmamenti: & qui
adiustitiam erudiunt multos, quasi stella
in perpetuas aternitates. Zelus solidum
 in virtutum studio profectum in se a-
 lijsque promouendi.

Dan. 12.

De actibus internis }
 resignationis perfe- }
 ctè exercendis. } 6. p. med.

17° VI.

De actibus externis, }
 & incitamenti resi- }
 gnationis. }

18° VII.

Dominica XIII. post Trini-
 tatem.

9. Hebd.
 post
 Trinit.

De Samaritano. Luc. 10.

I.

I. **I**mmensam suam Christus erga ho-
 mines misericordiam nobis hic ob-
 oculos ponit, & quidem triplicem.
 1. Est inæstimabilis illa, ex qua factus
 homo in terris visus, & cum homini-
 bus conuersatus est, de qua ait: *Beati*
oculè

oculi qui vident, qua vos videtis. Verè beati oculi discipulorum, beatæ aures, beatæ manus, quæ videre, audire, conrectare, præ tot alijs Prophetis, Regibus & iustis veteris Testamenti, meruerunt Verbum incarnatū! & quanto beatiores oculis & auribus seruorum Salomonis (de quibus dicit Regi-
 3. Reg. 10. na Saba: *Beati serui tui, qui astant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam*) & eorum, qui Eliæ aspectu digni fuere,
 Eccl. 48. de quo Sapiens: *Beati sum, qui te viderunt.* Nec idèd solum beati discipuli, quod Christum in carne præsentem corporaliter videre, sed potius, quod spiritualiter tot profundissima mysteria ab eo reuelata, tot admiranda opera patrata, tot beneficia in se aliosque collata oculis fidei intruere meruerunt.

Quàm beati quoque oculi tui, qui sic à Deo es peculiariter dilectus, vocatus ad fidem, ad religionem, præ tot millenis alijs peculiaribus auxilijs superabundantis gratiæ destitutis? Si hoc cum Christo clarius agnosceres, quanto gratior, quanto in cooperando gratiæ feruentior esses? Gratitude, amor, zelus gratiæ cooperandi.

II. Altera misericordia est, quod factus homo, cum hominibus arctissi-
 ma

ma amicitia copulari voluerit, ideoque præceptum dilectionis imposuerit, cuius impletione amicitia cum ipso hinc inchoata in vita, perficeretur, æternumque stabiliretur in patria. Quanta illa dignatio tantæ Maiestatis seise ad indissolubilem cum vermiculis terræ familiaritatem ineundam sic demittentis, nec aliud in compensationem, quam ut medullitus, qui infinito amore est dignissimus, propter se, & proximus propter ipsum diligatur, exposcentis?

Quantum ergò meritò studium in eo perfectè, propter seipsum, super omnia intellectu, affectu, & effectu, & proximo propter ipsum sincerè redamando foret adhibendum? Zelus proficiendi in amore Dei & proximi.

III. Tertia misericordia in parabola de Samaritano insinuata est, quod vulnèra non solum humani generis, per præuancationem Adæ lauciati, tam benignè curare sit dignatus, sed cuiusque etiam peccatoris propria temeritate in latronum manus se vltro spoliandum, vulnerandum & mactandum ingerentis, inflictas plagas, toties, tam misericorditer etiam nunc curare dignetur.

O quot

O quoties perijsses, nisi verus Samaritanus tantam tibi misericordiam exhibuisset! Gratitudo, amor, misericordia erga afflictos proximos.

II. *De miserabili lapsu, & misericordie reparatione hominis hac parabola mysticè representata.*

I. **H**OMO descendens ab Ierusalem in Iericho, mystico sensu, est homo in visione & fruitione summæ pacis conditus, diuinâ gratia, virtutibus infusus ditatus, & originali iustitia ornatus; descendens per peccatum astu dæmonis liberè perpetratum in Iericho, factus stultus, qui vt luna mutatur, & cum in honore esset, comparatus est iumentis insipientibus: qui incidit in latrones seu dæmones; vt ouis errans in lupos; à quibus spoliatus omnibus cœlestibus charismatis; insuper concisus vulneribus grauissimis, quæ sunt cæcitas intellectus, duritia voluntatis, pronitas ad malum, infirmitas ad bonum, cum innumeris inordinatis affectibus, desiderijs & peccatis, quæ ex hisce fontibus promanant: demùm semiuiuus relictus, partim viuus, ob viuacitatem ad malum.

Psal. 48.

lum, partim mortuus, ob corporem ad bonum, vt meritò cum D. Iob lamentari posset: *Spoliauit me gloria mea, & Cap. 19. abstulit coronam de capite meo. destruxit & 16. me, & quasi euulsa arbori abstulit spem meam. Circumdedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos, effudit in terra viscera mea, conscidit me vulnere super vulnus.*

O quanta illa abyssus humanæ miseriæ, in quam non solum primus homo cum totâ propagine sua per serpentem deceptus incidit, sed quiuis etiam peccator, quoties mortaliter peccat, temerè se præcipitat, quando ab Ierusalem in Iericho descendit, atque è cælo in cœnum, è paradiso in infernum præceps ruit. Quis ergo nõ horreat quoduis peccatum, quod est radix & fons omnium miseriarum, ignis vniuersa depascens, inundatio omnia deuastans, destructio totius hominis nihil in eo boni relinquens! Humilitas, contritio, horror peccati.

II. Hæc humanæ naturæ per peccatum corruptæ miseria & infirmitas tanta fuit, vt nec per antiqua sacrificia, quæ Sacerdos præteriens designat, nec *Heb. 7.* per legem nihil ad perfectum adducentem, quam Leuita transiens præfiguratur,

gurat, potuerit curari. nec æternum curata fuisset, nisi verus Samaritanus misericordia motus efficaciora remedia adhibuisset.

O quam admirabilis misericordia Saluatoris, ad plagas humani generis alienâ protoplasti, & cuiusvis peccatoris propriâ culpa sauciati curandas se demittentis! at quantò admirabilior modus ipse curationis! nam, vt lapsos in latronum infernalium manus eriperet, ipse in eorum potestatem tradi voluit; vt vulneribus eorum mederetur, vulnerari se permisit; vt semiuiuos in vita seruaret, mori non recusauit. Amor, gratitudo.

III. Modum porrò hunc curationis clarius nobis parabola ob oculos ponit. Nam instar Samaritani Filius Dei iter secus hominem saucium fecit, quando è cælo in terram venit: appropiauit eidem, cum eius naturam factus homo assumpsit; descendit de iumento, quando factus est obediens Patri; vsque ad mortem Crucis; alligauit vulnera eius, quando illis curandis pretium meritorum suorum applicauit: infudit oleum & vinum, quando ei oleum gratiæ, quod animam lenit & laxificat, contulit, & vinum doctri-

nae Evangelicae, quod vulneribus infusum mordet quidem, sed simul sanat, & à putredine liberat, eidem impertiuir: In stabulum duxit infirmum, seu in hospitium, & stabulario commendauit, quando eum Deo reconciliatum in Ecclesiam reduxit, & Sacerdoti porro curandum commisit: duos denarios protulit, quando scientiam & potestatem eidem ad perfecte infirmum persanandum impertiuir, promittens se soluturum in reditu, quod supererogarit, id est, promittens abundantem remunerationem laboris, in eodem plenius instruendo & curando impensi.

Quam benigne tibi quoque in latrones incidenti similem misericordiam misericordissimus Saluator exhibuit, non solum, quando originali labe infectum per baptismum abluir, sanauit, vitae gratiae restituit; sed quoties relapsum in quoduis grauius peccatum in gratiam recepit? Quam grauis ergo sis oportet illi, qui ex gratuita misericordia sic te respexit? quam feruens in simili misericordia proximi in daemonum manus incidentibus exhibenda, amore eius, qui tam paratus est eos eruere de potestate tenebrarum,

Et transf-

rum, & transferre in Dei lumen & cognum? Gratitude, zelus peccatores conuertendi.

III. De tertio Apostolica vocationis munere, perficiendi.

Matt. 3. **N**on potest ciuitas abscondi super montem posita. Expende terrium precipuum munus vocati ad statum Apostolicum, esse omnes suæ curæ commissos perficere, seu ad insignem altissimæ cum Deo vnionis, & voluntatis propriæ cum diuina conformitatis gradum, verbo, exemplo, auxilio pro talentorum sibi concreditorum mensura promouere: quod vt assequatur, opus est, vt ipse instar ciuitatis supra montem positæ, quæ ab omnibus facilè & videri & adiri queat, prius eximia cum Deo coniunctione, & cum diuino beneplacito consensione emineat, in exercitijs deuotionis, charitatis, zeli gloriæ Dei & salutis animarum piè perfecteque frequentandis, omnibus præluceat, & odore exemplaris conuersationis omnes ad se trahat. Quomodo enim alios igne perfecti amoris Dei & proximi accendet, nisi ipse eodè ardeat? quomodo alios

ad intimam eum Deo familiaritatem
perducat, nisi ipse in eadem excellat?
ac proinde sibi dictum intelligat illud:

Supra montem excelsum ascende tu, qui *Isa. 49.*

*euangelizas Sion: exalta in fortitudine
vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem.*
quod quo pacto præstabit, nisi excelsa
& insigni sanctitate intus fulgeat, a-
lijsque foris eadem præluceat? Stu-
dium proprij alienique profectus in
omnimoda perfectione viæ vnitiuæ
propria.

II. Quam perfectè hæc duo Christus
supremus huius perfectionis Doctor
præstare curarit, vt & absolutissimam
iudicij & voluntatis suæ semper & in
omnibus eum æterni Patris decreto &
beneplacito conformationem, per as-
siduos amoris, resignationis, deuotio-
nis actus sublimissimo modo conti-
nuaret, & exemplo suo eandem omni-
bus efficacissimè inculcaret; idq; tota
vita sublimissimæ contemplationi va-
cans, inter prædicationis labores in
oratione non rarò pernoctans, inter
persecutionum, opprobriorum, tor-
mentorum procellas immobiliter di-
uinæ Patris voluntati adhærens. Zelus
in his Christum æmulandi.

III. Quale in hac vita mentis tripu-
dium

M m

dium

dium diuinitus communicari solet
ijs, qui proximorum eximia perfe-
ctioni, & cum Deo coniunctioni tam
verbo quam exemplo promouenda se
totos impendunt; quale in altera ex-
traordinarium gaudium, quod perci-
pient ex intuitu tot spiritualium filio-
rum tam eximie Deum tam in tempo-
re quam in æternitate glorificantium,
quod vnicum est eorum votum, vni-
cum solatium. Feruor constans in se
alijsque maiorem cum Deo vnionem
promouendi.

IV.

De excellentiâ legis Euangelicæ.

Matt. 5.

I. **N**olite putare, quia veni soluere le-
gem, aut prophetas, non veni solu-
re, sed adimplere. Christus legifer noster
nouæ legis perfectionem promulga-
turus, ostendit se non venisse ad im-
plendam & perficiendam veterem le-
gem: quod præstitit tripliciter. 1. Il-
lam exactissime obseruando. 2. Quæ
illa promiserat, abundantissime præ-
stando. 3. Quæ illi deerant, perfectis-
sime supplendo: ideoque addit: Qui
soluerit vnum de mandatis istis minimis,
minimus vocabitur in regno cælorum, qui
autem

autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.

Quanta ergo merito cura adhibenda in præceptis moralibus Decalogi exemplo Christi accuratissimè obseruandis? quanto zelo eorundem obseruatio alijs inculcanda, cum & ij, qui soluerint vnum ex minimis ex contemptu, minimi; magni porro, qui fecerint simul & docuerint coram Deo reputentur: Zelus exactissimæ obseruationis præceptorum Dei.

II. Perfectionem legis Euangelicæ in explanandis præceptis de homicidio, adulterio, periurio, dilectione proximorum, declarat ostendendo ad exactam singulorum obseruationem requiri. 1. Vt omnes culpæ non tantum externæ opere ipso, sed etiam interna cogitatione, desiderio, affectu committi solitæ, euitentur. 2. Vt nullæ virtutes ad plenam eius obseruationem necessariæ desiderentur. 3. Vt illæ ipse virtutes perfectissimè exerceantur, vt vitia opposita stirpitis eliminentur. Patet in dilectione proximorum, quos omnes, etiam inimicos, non solum iniuria, nec opere, nec verbo, nec affectu afficiendos docet; sed omnibus charitatis, mansuetudinis,

misericiordiæ obsequijs esse demerendos, idque modo perfectissimo, iuxta exemplar Patris celestis pluentis super bonos & malos. Zelus perfectæ observationis omnium mandatorum modo prædicto, maximè de dilectione proximorum.

III. Huius perfectionis in noua legis præceptis exactè obseruandis proponit nobis exemplum absolutissimum, infinitam scilicet perfectionem celestis Patris dicens: *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester celestis perfectus est.* Quanto zelo eximij nostri in omni sanctitate & iustitia profectus nobis hanc diuinissimam incomprehensibilis perfectionis ideam proposuit imitandam, volens nimirum nos semper pro viribus contendere, & supra vires ad maiorem in dies aspirare perfectionem! *Felix proinde iuxta Diuum Hieronymum, qui quotidie profi-*

In Ps. 83. cui, qui non considerat, quid heri fecerit, sed, quid hodie faciat ut proficiat

Zelus eximie perfectionis cum desiderijs heroicis supra vires.

(:)

etiam
-olim

Di

De recta intentione in exercendis operibus bonis habenda. Matt. 6. V.

- I. **A**tendite; ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in caelis est. Considera quàm sollicitè nobis Christus inculcet in exercendis operibus misericordiae, deuotionis, mortificationis non venandam vanam gloriam, more Phariseorum in elargitione eleemosynarum, oratione & ieiunio plausum hominũ auide aucupantium, sed solam gloriam Dei scrutantis imacordium: ideoque hæc bona opera, quantum fieri potest, potius exercenda in occulto, quàm in publico, nisi aliud charitas & ædificatio proximi exigat: idque eo sollicitius, quòd perspicacius vidit, quã prona sit corrupta natura ad vanam humanæ laudis aurã captandam, quã omnia bona opera inquinantur, merita euacuantur, præmia perduntur. Studium bonæ intentionis, horror vanæ gloriæ ac laudis.
- II. Quàm perfectè Christus id, quod hic docet verbo, tota vita expresserit exemplo, tam sollicitè plausum hominum in miraculis patrandis & operibus
- M m 3 bus

bus misericordiæ exhibendis cauendo; secretum, dum orationi & contemplationi vacaret, quærendo; in omnibus operibus, omissionibus, cogitationibus ac desiderijs intentione suam purissimè ad maximam æterni Patris gloriam, amorem, beneplacitum dirigendo. Zelus eum imitandi.

III. Quàm copiosa ijs, qui Christum imitantes non seipsos, nec suam laudem & commodum, sed Deum eiusq; honorem & beneplacitum quarunt, merces reddatur, in hac quidem vita maior gratia & mentis letitia; in altera maior animæ & corporis gloria. Eos verò, qui seipsos, propriam gloriam, & commodum in omnibus quarunt, quàm acerba maneat punitio, in hac quidem vita serenitatis conscientia turbatio, in altera æternæ retributionis priuatio. Praxis assidua bonæ intentionis.

- | | | | |
|------|---|----------------|------|
| VI. | De præstantia & proprietatib. sinceri zeli honoris Dei, & salutis animarum. | } 6. p. med. } | } 19 |
| VII. | De fundamentis huius perfecti zeli. | } } | } 20 |

Dominica XIV. post Trinitatem.

14. hebd.
post
Trinit.

De decem Leprosis. Luc. 17.

I.

I. **C**um ingrederetur Iesus quoddam castellum, occurrerunt ei decem Viri leprosi, qui steterunt à longè, & leuauerunt vocem, dicentes: Iesu præceptor, miserere nobis. Filius Dei venit in castellum huius mundi, vbi sciebat ingentem esse leproforum copiam, ad curandos non solum corporali, sed multo magis spirituali leprâ infectos: modo se leprosos esse humiliter agnoscerent, sanari efficaciter vellent, & instanter id peterent. præstitere id hi decem corpore leprosi, & meruerunt sanitati restitui. At quanta socordia tot spirituali lepra coinquinatorum (quales sunt omnes decem præceptorum Decalogi præuicatores, imò etiam omnes incurabiles, quosdam imperfectionum nauos mordicus retinentes) qui complacentes sibi in fœditate lepræ suæ curari renuunt, ideoque nec medicum adire, nec me-

M m 4. dicinam

dicinam vllam adhibere satagunt; cum tamen lepra spiritualis corporali multò sit grauior. Nam corporalis lepra humores corrumpit, hominem deformem reddit; at spiritualis animam defœdat, & speculum diuinæ pulchritudinis in simulacrum diabolicæ deformitatis commutat: illa aliorum corpora contagione inficit: hæc animas prauo exemplo corrumpit: illa halitum fœtidum reddit: hæc animam in sepulcrum fœtores exhalans conuertit.

O si oculis corporis hæc lepra spiritualis cerni posset, quantum horrore omnibus incuteretur? Quam depiorandum, animam, quæ prius ob pulchritudinem gratiæ a cælesti Sponso au-

Cant. 1. dire meruit: *Ecce tu pulchra es amica mea; ecce tu pulchra es; nunc eâ, culpa*

Ezech 16 sua, exspoliatam audire: *Abominabilem fecisti decorem tuum!* Quisquis ergo te simili lepra vel vnius grauioris delicti, vel alicuius imperfectionis diuturna consuetudine firmiter radicatæ infectum sentis, si vis sanari, fœditatem tuam submissè agnosce, liberari ex animo desidera, gratiam feruenter implora. Humilitas, contritio, zelus emendandi.

II. Quos ut vidit, dixit, ostendite vos Sacerdotibus: & factum est dum irent, mundati sunt. En quanta liberalitas Saluatoris erga hos leprosos, tam promptè eos, quamprimùm eius dicto parere cœperunt, confestim mundantis! quanto maior est eiusdem erga quosuis peccatores, multò promptius eos, quamprimùm cum vera contritione conscientias suas Confessarijs detegunt, imò non rarò dum detegere parant, à lepra spirituali qualicunque, absque mora liberantis!

Quanto ergo feruore & gaudio, quanta sollicitudine & studio frequentanda foret confessio, qua tam citò & tam facilè amissa aut infuscata reparatur animæ pulchritudo? Crebra, seria, & perfecta peccatorum per confessionem expiatio.

III. Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens: & hic erat Samaritanus. respondens autem Iesus, dixit: Nonne decem mundati sunt, & nouem ubi sunt? O quanta raritas eorum, qui cū grato Samaritano à lepra mundati, pro acceptis beneficijs se gratos exhibendo, pluribus & potioribus

merentur augeri ! quanta numerofitas eorum, qui cum nouem ingratissimis Iudæis ab eadem lepra mundatis, pro charismatis sibi communicatis ingrati, & acceptis iure priuantur, & accipiendis redduntur indigni ! Quoties complures minoribus gratijs præuenti existunt auctori gratiæ multò gratiores, quàm plurimi maioribus cumulati, quos oportebat in reddendis gratijs longè esse feruentiores ! Verè, ut multi sunt vocati, pauci verò electi. Sic multi gratijs præuenti, pauci grati.

○ si agnosceres quàm displiceat Deo ingratitude cum D. Augustino afferente : *Scio quod ingratitude tibi multum displiceat, qua est radix totius mali spiritualis, & ventus quidam desiccans & rursus omne bonum, obstruens fontem misericordie super hominem, quanto opere hoc vitium horreret ! Si abyssum miserationum Dei erga te, & ingratitude tuarum erga Deum intuereris, quomodo coram Deo tuo confundereris ! multò sanè magis, quàm proditor coram rege irato, filius prodigus coram Patre offenso, adultera coram fuerente marito. Horror ingratitude.*

De prefatione orationis Dominica.

Matth. 6. Luc. 11.

I. **E**Xpende quàm feruenter desiderarit Christus hanc orationem à vobis quotidie frequentari, quam ipse non solum palam in monte turbas docuit, sed priuatim etiam iterum discipulis inculcauit, idque ideò, quod in ea sanctissima desideria omnium diuinæ Maiestatis honorem, amorem, beneplacitum, tum nostram proximorumque animæ & corporis prosperitatem, gratiam, perseuerantiam, & gloriam concernentia summatim continentur. Quanto affectu eam Christus ipse creberrimè iterarit? quo feruore diuinissimos affectus ea comprehensos tota vita continuauit? Feruor piè attenteque orandi hanc, omnesque preces vocales.

II. Quàm auidè cupiat nos cum filiali fiducia, amore & reuerentia ad orandum accedere, ad quos affectus excitandos nos compellatio Patris in cælo gloriam suam Beatis manifestius intuendam exhibentis plurimum conferet, si illius & paterua benignitas, & diuina Maiestas expendatur. Paterna benignitas eius ex eo elucet,

Mm 6

A. Quod

1. Quod nos ad similitudinē suam cre-
arit, & in filios per gratiam adoptarit.
2. Quod paterna sua providentia huc-
usque nos quoad corpus & animam
sustentet, gubernet, dirigat, manu-
ducat. 3. Quod hæreditatem nobis
æternam inæstimabilis beatitudinis in
cælo prepararit, & donare decreverit,
idque ex gratuito incomprehensibilis
dilectionis, omnem paternum mater-
numque amorem infinitè exceden-
tis, affectu. Diuina porro Maiestas
ex eo æstimari potest, quod licet se
ad nos quasi filios fouendos dignanter
demittat, nihilominus immensitate
sua omnia impleat, & non minus cæ-
lo, quàm terræ & inferno tanquam
supremus omnium Dominus impe-
ret. Quis talem Patrem cum filiali
amore & fiducia accedere vereatur?
quis talem Dominum infinitæ Ma-
iestatis non submissè reueretur? Fi-
ducia filialis, amor reuerentialis.

III. Quàm vehementer denique de-
sideret nos igne fraternæ dilectionis,
& zelo proximorum salutis ardere, i-
deoque velit nos hac voce *Noster* com-
moneri, vt meminerimus, nos om-
nes esse fratres, vnius Patris filios; ac
proin-

proinde debere nos pro omnibus non
 lecus atque pro nobis ipsis orare, om-
 nes amore intimè complecti, omni-
 bus velle ac favere bonum, nulli ma-
 lum. Quisquis tam amplo charitatis
 sinu omnes in Christo complectens
 orat, immane quantum meritorum
 suorum aceruum accumulatur. Charitas
 fraterna, zelus animatum.

De i. Petitione. *Sanctificetur nomen* III.
tuum.

I. **E**Xpende quomodo perfectè De-
 us, prout hic peritur, à nobis
 possit sanctificari & glorificari. i. La-
 tissimè, sanctum prædicando, laudan-
 do & glorificando eum in omnibus
 suis perfectionibus, potentia, sapien-
 tia bonitate, misericordia, iustitia ali-
 jsque; in omnibus beneficijs, quod sit
 prædestinator, creator, reparator, iu-
 stificator, glorificator; in omnibus
 operibus naturæ, gratiæ, gloriæ; in
 omnibus permissionibus, iudicijs ac
 decretis circa nos, omnes, & omnia;
 omnibus insuper modis, quibus à no-
 bis alijsque omnibus potest glorifica-
 ri, per actus internos externosque

Mm 7

Fidei,

Fidei, spei, charitatis, resignationis, zeli gloriæ eius, religionis, penitentiæ, omniumque virtutū, seu per exercitiū omnimodæ perfectionis. 2. Purissimè gratis propter ipsum Deum in se infinite laudabilem & amabilem, non ob vllum alium respectum. 3. Intensissimè, omni, non solum nostro, sed omnium hominum & Angelorum, imò omnium creaturarum possibilium possibili pietatis affectu. 4. Constantissimè, inter prospera & aduersa, in tempore & aternitate. 5. Infatiabilissimè, quoad heroica desideria longè supra vires perfectius illum glorificandi, omni modo possibili, in aternū & vltra. Quàm Deo gratum sit nobisque meritorium tale desiderium! quam simile Seraphico desiderio beatorum: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus noster omnipotens* iugiter concinētium! quod ut cum illis aternū continuare valeas, deuotè nunè frequentare ne omittas. Zelus glorificandi Deum modo prædicto explicatus hîc prolixius exercendus.

II. Quomodo Christus hoc desiderium glorificandi perfectissimè aternum Patrem tota vita contintarit, & quidem eò intensius, quò clarius eum
 infinito

Apol. 4.

infinito honore, amore, cultu, obsequio dignissimum cernebat: quò ardentius illum diligebat: quò zelosus eius gloriæ propagationem sitiebat. Zelus Christum in eo imitandi.

III. Cur meritò à nobis hoc sanctum desiderium deuotissimè sit frequentandum. 1. Ob infinitam Dei, infinitè in se & propter se amabilis, laudabilis, honorabilis excellentiam. 2. Ob immensam beneficiorum naturæ & gratiæ nobis collatorum multitudinem & magnitudinem. 3. Ob inæstimabilem donorum gloriæ nobis promissorum sublimitatem.

Hæc attentè si ponderes, an non meritò cum Apostolo exclames: *Regi*
seculorum immortalis, & inuisibili soli 1. *Tim. v.*
Deo honor & gloria in secula seculorum.
 Et cum Beatis: *Benedictio & caritas, &*
sapientia, & gratiarum actio, honor, vir-
tus & fortitudo Deo nostro in secula
seculorum. Idem affectus
 zeli gloriæ Dei re-
 petendus.

(2)

De

De 2. Petitione. *Adueniat regnum
tuum.*

I. **E**Xpende quale regnum nos Christus hic sperare, petere & desiderare velit, triplex videlicet 1. Regnum gratiæ, quo Deus per sanctificantem gratiam regnat in iustis, qui excusso peccati, mundi, diaboli iugo per eradicationem vitiorum, per mortificationem appetitionum, victoriam tentationum, exercitationem virtutum penitus se illi per omnia subijciunt, eius imperio submitunt, & beneplacito conformant per exercitium perfectæ resignationis, seu voluntatis suæ cum diuina conformationis. 2. Regnum gloriæ animæ, quo regnat per gloriam in beatis, qui clarè intuentes, beatè amantes & possidentes Deum, ad eius nutum semper & in omnibus promptissimè se accommodant. 3. Regnum consummatum gloriæ quoque corporis in resurrectione iustorum inchoandum, quod expectant animæ beatorum, quando Deus erit omnia in omnibus, omnesque perfectissimè quoad corpus & animam illi erunt subiecti.

Quis

Quis non avidissimè expetat, ut Deus in se hac triplici ratione regnet? at si anhelas ad regnum gloriæ corporis & animæ, quod summo cum gaudio possidebitur, prius aspirare oportet ad regnum gratiæ, quod absque magno labore, absque assidua mortificatione, resignatione, sui victoria, tentationum lucta non acquiritur. Desiderium huius triplicis regni & zelus proficiendi in triplici via perfectionis, maximè in absoluta resignatione ad omnia.

II. Quam ardentè Christus hoc triplex regnum omnibus, pro quibus incarnari voluit, tota vitæ exoptavit, & ab æterno Patre exoravit: quam promptè omnia, quæ dixit, fecit, passus est, ad illud nobis impetrandum obtulèrit: quam zelosè desideravit nos non solum desiderijs ad hoc regnum aspirare, sed pro viribus etiam per assiduum exercitium mortificationis & resignationis, & per serium studium omnimodæ perfectionis contendere? quam æquum ergò est, ut tantæ Christi liberalitati gratus existas, & sanctum eius desiderium æmulari studeas?

III. Cur ad regnum illud desiderijs
aspi-

aspirandum, & pro viribus dicto modo contendendum sit. 1. Ob incomparabilem præminentiam huius triplicis regni, quod nullis caducis donis, ne quidem vniuersis mundi opibus, dignitatibus, voluptatibus queat conferri, 2. Ob inæstimabile pretium sanguinis, quo Filius Dei illud nobis dignatus est mercari. 3. Ob ineffabile desiderium, quo cupit nos eodem perfecte potiri. Hæc si capis, nec te moueri sinis, annon silice durior merito censeberis? Affectus ijdem repetendi.

V. De 3. Peritione. *Fiat voluntas tua.*

I. **E**Xpende quomodo diuina voluntas perfecte, quod hic petimus, sit adimplenda. 1. Latissimè, adimplendo omnia præcepta, consilia, inspirationes diuinas, omnia item iussa eorum, qui nobis Dei nomine præfunt, iussa, quibus omnibus diuina voluntas nobis declaratur. 2. Purissimè, ex gratuito amore Dei, non ex metu supplicij, aut spe præmij. 3. Intèfissimè, & sublimissimè instar beatorum in cælo, eximia scilicet cum promptitudine, celeritate, alacritate, amore, gaudio. 4. Constantissimè in omnibus rerum & temporum vicissitudinibus, nunc, semper, æternum. 5. Insatiabilissimè

simè , quoad desideria vires nostras longe excedentia , in pluribus & magis arduis , purius , intensius , constantiusque inter maiores aduersitatum & desolationum fluctus diuinum beneplacitum intellectu , affectu , effectu exsequendi.

¶ Quam gratum Deo tam sublimè diuinæ eius voluntatis tam perfectè adimplendæ desiderium ! quantò gratior reipsa hoc desiderium exequendi secundum vires conatus ! Alterum constanter pro te alijsque pete : alterum constanter conari propone.

II. Quam deuote Christus tota vita hoc desiderium perfectè adimplendi æterni Patris beneplacitum continuari ; quam studiose reipsa semper & in omnibus adimplere contenderit ; quãtam gratiam nobis idẽ præstandi promeruerit ; quã potenter exemplo suo ad imitationem sui nos prouocari ; quam ardentè id nunc ab ijs , quos peculiari gratia præuenit , iure suo exigat. Zelus Christum imitandi in diuina voluntate affectu & effectu perfectè implenda.

III. Cur meritò ad exactam diuini beneplaciti executionem nobis desidio aspirandum , & opere ipso con-

tendendum sit. 1. Quia Deus ob infinitam suam in se excellentiam & immensam, ergo nos liberalitatem dignissimus est, ut promptissimè ad omnia eius nutum nos conformemus.

Quia diuina voluntas regula est omnis rectitudinis & sanctitatis, cum ab eo promanet, qui est infinite iustus, rectus, Sanctus. 3. Quia diuinum perfecte facere beneplacitum, est summum ad cœlorum regnum compendium.

Matt. 7.

Nam ut ait Veritas: *qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Quem hæc

seriò expendentē vel trecenties sexages quinquies cum D. Gertrudē geminare pigeat: *Fiat voluntas tua: tua,* inquam, sanctissima, non mea, quæ est peruersa, non carnis, quæ spiritui contraria, non mundi, quæ vana, non diaboli, quæ iniqua: Renouandus zelus diuini semper & in omnibus complendi beneplaciti.

VI.

De zeli honoris Dei
& salutis animarum
actib. internis perfecte
eliciendis.

VII.

De eiusdē zeli actib.
externis piè exercēdis,
& incitamentis.

6. p. med.

Domini

Dominica XV. Post Trinitatem.

15. hebdomada.
post
Trinitatem.

De duobus Dominis. Matt. 6.

I.

I. *Nemo potest duobus Dominis servire. Non potestis Deo servire & Mammona.* Christus videns corda filiorum Adæ terrenis nimium esse affixa, ut inordinatum eorum, erga diuitias & cetera, quæ mundus amat, affectum, à transitorijs appetendis & aucupandis auellat, atque ad æterna desideranda & quærenda transferat, ostendit fieri non posse, ut simul vero Deo, & mamonæ, seu diabolo diuitiarum Deo, sincerè seruiatur, cum Deus velit terrena despici, cœlestia amari, opes indigentibus erogari, carnem domari, honores negligi, vnicam diuinam gloriam & æternam salutem in omnibus intendi: è contra Mammon iubeat terrena diligere, cœlestia negligi, opes coaceruari, nihil indigentibus tribui, voluptatibus indulgeri, dignitates affectari, propriam gloriam & temporalem.

ralem prosperitatem semper queri,
diuinam gloriam despici, aeternam sa-
lutem non curari.

Quam deploranda cæcitas pluri-
morum mortalium avaritiæ, quæ est
idolorum seruitus, ventri suo, alia-
rumque prauarum cupiditatum idolo
miserè seruentium, & suauissimum
diuinæ seruitutis iugum sacrilegè ex-
cutientium? Quam deploranda quoque
cæcitas multorum religiosorum & ser-
uorum Dei tam tepidè seruitio eius,
cui se totos consecrarunt, impenden-
tium, cum videant à filiis huius sæculi
tanta alacritate & studio inseruiri Do-
minis suis, Carni, mundo, diabolo, cum
*tamen caro largiatur suis seruatoribus mo-
mentaneam tantam voluptatem, mundus
transitoria sublimitatè, diabolus perpetuam
captiuitatem, Deus verò interminabilem
felicitatem.* Horror seruitutis mundi,
carnis, diaboli: feruor diuini seruitij.
II. *Ideo dico vobis, nolite solliciti esse ani-
ma vestra, quid manducetis, neque corpori
vestro quid induamini. Ut non solum
immodicum diuitiarum & rerum hu-
ius mundi superfluarum appetitum am-
putet, sed nimiam etiam circa res ne-
cessarias sollicitudinem esse fugiendam.
& moderatam tantum in rebus neces-*
sarijs

sarijs procurandis industriam, cum magna in Deum fiducia adhibendam, efficacius nobis inculcet; ideo curam illam anxiam de rebus ad vitam sustentandam requisitis, reiiciendam esse in Deum omnium auctorem & generalem prouisorem (de quo scriptum: *acta super Dominum curam tuam, & ipse te eruet.*) hisce quinque rationibus probare dignatur. 1. Quod anima plus sit, quam esca. 2. Corpus similiter plus quam vestimentum, qui ergo animam & corpus dedit, escas & vestimenta negabit? 3. Quod volatilia caeli pascant. 4. Quod lilia agri vestiatur, quanto magis homines ad imaginem suam aeternamque gloriam conditos? 5. Quod uti nemo cogitando potest ad staturam suam adiecere cubitum unum, sic omnium nostra sollicitudo vana sit absque diuino praesidio. Quis has rationes expendens superuacaneis curis se stulte conficiat, & non potius, ut monet S. Petrus, *securus omnem sollicitudinem suam projiciat in eum, cui est cura de nobis?* Et cum Davide confidenter exclamet: *Dominus sollicitus est mei. Dominus regit me, & nihil mihi deerit!* Filialis fiducia, creber recursus ad sinum diuinæ prouidentiae.

1. Pet. 5.

Psal. 54.

Ps. 39.

III. *Querite primum regnum Dei & iustitiam eius, & haec omnia adycentur vobis.* Expeditissimum res necessarias absque anxia sollicitudine acquirentes suggerit nobis medium, videlicet quaerere primum regnum Dei & iustitiam eius, quod fit 1. Ardenter & constanter in omnimoda perfectione indies proficere, Deoque eximie placere conando, sicque ad continuum gratiae sanctificantis incrementum aspirando. 2. Pure semper & in omnibus diuinam gloriam, amorem & beneplacitum respiciendo, intendendo, promouendo. 3. Ad regnum gloriae ubi clarè Deum videbimus, beatè amabimus, perfectè laudabimus, semper anhelando.

Quanta benignitas illa Domini tale cum inutileseruo pacto inuentis, vt, si is regnum Dei & iustitiam eius dicto modo quaerat, de necessarijs omnibus paterne eidem provideat, quam manifeste hoc ipsum in se compleri deprehendit, quisquis sincerè cum filiali fiducia Deo seruire satagit. Zelus eximiae perfectionis & purae intentionis.

De 4. Petitione. Panem nostrum II.
 quotidianum da nobis ho-
 die.

I. **E**Xpende quis & qualis panis sit à nobis hic petendus, videlicet duplex, spiritualis & corporalis, seu duplex genus subsidiorum, ad vitam animæ corporisq̃ conseruandam necessariorum.

Ad primum genus subsidiorum spiritualium pertinent 1. digna & deuota SS. Eucharistiæ, quæ est panis supersubstantialis, præcipuum animæ nutrimentum, vitam gratiæ conseruans ac roborans, aliorumque Sacramento- rum fruitio. 2. Copiosa omnis generis auxiliorum diuinæ gratiæ præuenientis, comitantis, subsequenti participatio. Vti sunt interna mentis illuminatio, voluntatis ad bonum impulsio, periculorum labendi remotio, varias virtutes exercendi occasio, diuini verbi auditio, lectio, intellectio.

3. Efficax & constans cum auxilijs gratiæ in diuinæ voluntatis perfecta adimpletione (qui vti gratissimus Christi, sic pij cuiusq̃ Christiani
 N n cibus

cibus esse debet) cooperatio. Quam
hic triplex spiritualis panis in se exi-
mius, quam animæ necessarius, quam
salubris, sine quo in via peregrinatio-
nis huius deficeret, nec vnquam in pa-
triam cœlestis beatitudinis perueni-
ret! Ad alterum genus corporali-
um subsidiorum referuntur omnia, qua
ad victum, amictum, habitationem &
corporis valetudinem spectant, cum
omnibus donis naturalibus ad diuinum
obsequium requisitis. Quam illa ipsa
quoque magna & opportuna, nobis
necessaria & vtilia sint ad finem vlti-
mum consequendum? quam proinde
merito pro nobis alijsque hæc omnia
tam corporis, quam animæ subsidia
Deo largitore omnium petenda? quam
humiliter agnoscendum nos omnibus
hisce indigere, nec quicquam eorum
à nobis habere posse? quam grato ani-
mo recolendum, nobis indignissimis
hucusque; ea tam paternè à diuina pro-
uidentiâ suppeditata! quanta eum fide-
cia sperandum ea porro nobis ab eadem
suppeditanda! Humilis, feruens & fi-
ducialis horum presidiorum petitio, &
pro suppeditatis hucusque gratitudo
II. Quomodo perfectè hic panis
quotidianus à nobis petendus & spe-
randus

randus sit, nimirum 1. Cum purissima intentione diuinæ gloriæ, amoris, beneplaciti, vt his prædictis adminiculis suffulti, commodius & perfectius Deū glorificare; eius beneplacito nos conformare, & sanctæ voluntati in omnibus obtemperare, prout in prioribus tribus petitionibus explicatum est, valeamus. 2. Cum amplissimo charitatis & misericordiæ erga proximos affectu, vt eadem omnibus non secus ac nobis ipsis à Deo flagitemus. 3. Cum absolutissima resignatione in manus diuinæ prouidentia, vt nobis alijsque pro beneplacito inscrutabilis sapietia suæ hæc eadem subsidia, in eo gradu, ea mensura, eo modo, eo tempore, quo ipsi placet, misericorditer impertiri dignetur. 4. Cum humili & filiali allegatione efficacissimorum ad impetrandum motiuorum, scilicet infinitarum diuitiarum bonitatis, misericordiæ, beneficentiæ, liberalitatis diuinæ; infinitorum meritorum Christi, infallibilium eius promissionum; meritorum item & suffragiorum B. V. & omnium Sanctorū, nostræ deniq; extremæ indigentiæ, & inopiæ meritorū. O si sic semper orares, quid non impetrares! Zelus prædicto modo perfectè orandi.

III. Cur hic panis quotidie petendus sit, ob has videlicet causas. 1. Ut quotidie, & quidem crebrius in die nos profundè coram Deo humiliemus, agnoscendo nos esse mendicos, atque instar Lazari ante ianuam celestis patrisfamilias famelicos iacere, nec quicquam boni à nobis habere, nec aliundè, quàm ab eo, sperare posse. 2. Ut sic eadem opera debitum cultum Deo auctori omnium bonorum humili, pio, gratoque animo deferamus. 3. Ut hac ratione exercendo multas virtutes, Fidem, spem, charitatem, religionem, aliasque augmentum gratiæ & gloriæ indies maius acquiramus. 4. Ut memores huius exilij, in quo plurimarum rerum etiàm necessariorum est penuria, suspiremus ad patriam, vbi summa erit omnium bonorum æternumque durans abundantia. Quàm benignus ille pater, qui hæc intendit, dum filios panem quotidie petere præcipit!

Gratitudo, amor,
feruor orandi.

De 5. Petitione. *Dimitte nos debita* III.
nostra.

IXpende quorum & qualium debitorum hic petenda sit remissio. 1. Peccatorum mortalium, & æternarum pœnarum ijs debitarum. 2. Venialium culparum, & pœnarum temporalium pro ijsdem luendarũ. 3. Quotidianarum ingritudinum pro tanta multitudine diuinorum beneficiorum, & condignarum pro ijs exsoluendarum gratiarum. Quò maior & immensurabilior est tot tantorumque debitorum multitudo, magnitudo & enormitas, eò maior & inæstimabilior reputanda eorundem gratuita & liberalis remissio, quàm ergò humiliter, instanter, feruenterque quotidie illa nobis, qui præter tot olim commissa peccata quotidie delinquere non cessamus, erit efflagitanda; nec pro nobis solum, sed & pro omnibus diuinũ numen vsquam offendentibus: & quàm intenso affectu compunctionis & cõmiserationis, quàm incenso cũ proposito omnes diuinæ Maiestatis offensas expiandi & emendandi, illatas eidem

Nn 3

iniurias

iniurias retractandi & compensandi.
Zelus sic orandi, sic actum contritionis frequentandi.

II. Quam paratus sit Deus omnia illa debita, quantumuis multa & magna remittere, modo prædicta à nobis requisita præstentur, vt scilicet serò id petamus, admissa per contritionem detestemur, eadem retractemus, emendare statuamus, per confessionem expiemus, per exercitium bonorū operū & omnimodæ perfectionis studium resarciamus. 1. Propter infinitam suam misericordiam & bonitatem, quæ infinitum excedit omnium scelerum commissorum, committendorum, & committi possibilium multitudinem & grauitatem. 2. Ob infallibilitatem suarum promissionum, quibus omnibus ad cor & veram pœnitentiam redeuntibus promisit omnium iniquitatum liberalissimam indulgentiam, vt

Ezech. 33

per Ezechielem: Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, omnium iniquitatum eius quas

Ezech. 18

operatus est, non recordabor. Et: Vno egredicit Dominus. nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua & viuat. Et

Jerem. 3

per Ieremiam: Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere

ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam
 re. 3. Ob infinitatem satisfactio-
 num, obsequiorum, & meritorum
 Christi Domini, quorum singula
 infiniti valoris superabundantissime
 sufficiunt ad infinita infinitorum
 mundorum scelera, quantumuis e-
 normia ex rigore iustitiæ expianda.
 Quis hæc exactè ponderans, veniam
 desperet, si, quod Deus exigit, præ-
 stet? Spes veniæ consequendæ, & fer-
 uor seriæ pœnitentiæ.

III. Cur addi velit huic petitioni
 Christus: *Sicut & nos dimittimus debi-
 toribus nostris.* 1. Ad inculcandam no-
 bis fraternam charitatem, dum non
 solum vult nos pro nobis inuicem
 orare, sed alterum etiam alterius
 onera portare, mutualque offensio-
 nes ex animo condonare. 2. Ad hor-
 rorem odij, rancoris & cuiusvis cupi-
 ditatis vindictæ erga proximos no-
 bis incutiendum, dum innuit, nisi
 nos proximis omnes eorum offen-
 sas iniuriasque nobis illatas exto-
 to corde condonemus, nostras à
 Deo irrogatas nequam dimitten-
 das. 3. Ad manifestandam nobis
 immensam liberalitatem suam, dum
 quasi in nostra potestate con-
 stituit,

stituit, qua mensura nobis velimus misericordiam eius in dimittendis peccatis nostris exhiberi, eadem nimirum, qua nobis erga proximos placuerit in simili misericordia exhibenda vti.

O quàm stupescenda bonitas Deam liberaliter veniam tantorum debitorum vltro offerentis! Et quàm intoleranda immanitas hominis proximo condonationem exiguarum offensarum etiam petenti dare recusantis! Amor proximi, compassio, offensionum liberalis condonatio.

IV.

De 6. Petitione. *Et ne nobis inducas in tentationem.*

I. **E**Xpende quid Christus hinc nos petere doceat, videlicet 1. Non præseruari simpliciter ab omnibus tentationibus mundi, carnis, diaboli, sed ab ijs, quibus nos præuidet succubituros. 2. Non liberari omnino ab ijs, à quibus nos permiserit Deus pro inscrutabili sapientia sua impugnari, sed gratiam efficacem, ne expugnari nos sinamus, nobis suppeditari. 3. Non deprecari certum genus tentationum.

num, quod credere potest ad maius nostrum meritum, sed solum ne his, vel ullis alijs vnquam consentiamus. Quam perfecte id Christus præstiterit, pro nobis, & pro nostra instructione, B. V. alij sancti, omne gaudiū existimantes, si in tentationes varias inciderent. Magnanimitas, & promptitudo ad quasuis tentationes de manu Dei acceptandas.

II. Quomodo hæc petendæ sint, 1.

Cum profundissima humilitate, & de viribus nostris diffidentia, agnoscendo nostram in superanda quauis tentatione imbecillitatem. 2. Cum

filiali fiducia de diuina gratia nobis non defutura, implorando & sperando eius, qui non permittit nos tentari supra id, quod possumus, auxilium.

3. Cum absoluta resignatione in manus diuinæ prouidentia, conformando nos omnino eius voluntati, vt quando vult, & quomodo vult, & quamdiu vult, & quibus vult nos tentationibus pulsari sinat, & ab eisdem pro beneplacito suo vel præseruet, vel liberet, modo nunquam superari negligentia & culpa nostra permittat. Quam placet Deo tam heroica ad tentationum impetus susti-

Na s nendos.

nendos resignatio! quam displicet pusillanimis ad quemuis eorundem pulsum trepidatio! Perfecta resignatio in omni tentatione.

III. Cur Deus velit electos tentationibus exerceri. 1. Ad gloriam suam & potentiam gratiæ suæ clarius manifestandam, quamunitus fragilis homo ex se folium & stipula, aëreas potestates debellat, carnem domat, mundum triumphat. 2. Ad maius augmentum gratiæ electorum, qui per tentationes à peccatis commissis purgantur, à committendis præseruantur, in humilitate conseruantur, ad feruorem spiritus incitantur, in virtutibus radicantur, ad amorem Dei inflammantur, ad donum perseuerantiæ disponuntur. 3. Ad maius eorundem incrementum gloriæ, quæ tam gloriosis tot tentationum victorijs, tot heroicis virtutum actibus, occasione earum frequentatis, mirum in modum augetur. Quàm verè ergo censendus beatus, qui meruerit tentationibus probari, purgari, illuminari, glorificari! Affectus
ijdem.

De 7. Petitione. *Sed libera nos à* V.
malo. Amen.

I. **E**Xpende à quibus & qualibus malis, & quomodo hic petenda liberatio. Mala hæc duplicia sunt, culpæ & pœnæ. Mala culpæ sunt peccata mortalia & venialia. Mala pœnæ sunt rursus duplicia: huius & futuræ vitæ. Mala pœnæ huius vitæ sunt omnes æramnæ & miseræ animæ & corporis in hac vita infligi solitæ; animæ quidem obscuraciones intellectus, perplexitates, scrupuli, pronitas ad malum, crebra in commissa peccata relapsio, impœnitentia, obstinatio in malo, corporis verò omnis generis infirmitates, & afflictiones, bellum, fames, pestilentia, mors improvisa. Mala pœnæ alterius vitæ, sunt privatio æternæ gloriæ, & omnia tormenta gehennæ culpis mortalibus pœnitentia non deletis debita; aut suspensio eiusdem gloriæ, & temporales pœnæ, pro peccatis venialibus aut mortalibus quoad pœnam necdum perfectè expiatis, in purgatorio persolvendæ. *Quanta*

est horum malorum multitudo? quanta singulorum grauitas? quam diuturna duratio? nonnullorum quidem æterna, aliorum verò temporalis, sed plerumque valdè diuturna, non raro perseverans tota vita. Quanto ergò feruore à Deo petenda eorum amolitiō, & quidem modo perfectissimo,

1. Cum amplissimo charitatis & commiserationis erga omnes affectu, ut non solum nos, sed omnes, etiam inimici, ab his liberentur, aut præseruentur, ne in fine suo vltimo consequendo præpediantur.
2. Ex purissima intentione maioris gloriæ Dei, ne is occasione horum malorum aut æternum blasphemetur ab ijs, à quibus erat benedicendus, aut minus saltem glorificetur.
3. Cum eximia fiducia erga misericordissimum Deum, multo prouidenciam ad nos ab his liberandos, quàm nos sperare aut optare auderemus.
4. Cum profunda humilitate, & de proprijs meritis diffidentia, indignos nos tanta misericordia & liberalitate eius reputando.
5. Cum absoluta resignatione in manus paternæ Dei prouidentia, quoad mala pœnæ

tem-

temporalis, quæ nullam culpam includunt, vt ipse pro beneplacito suo dignetur nos aut præseruare, aut ab his vel illis, quando & quomodo placet, liberare, aut saltem efficere, vt omnia nobis cooperentur in bonum. His expensis ex zelo gloriæ Dei, salutis & perfectionis propriæ & alienæ, cum tali perfectione, pro te & omnibus à malis his liberari pete, & sæpius hoc desiderium renouare statue.

II. Quàm paratus sit Pater misericordiarum nos à prædictis miserijs præseruare, modo nos tali misericordia non reddamus indignos ingratitude, oscitantia & malitia nostra. 1. Propter infinitæ misericordiæ suæ viscera, quibus omnes, maxime filios suos in afflictionibus ad se confugientes, amantissimè complectitur. 2. Propter immutabilia promissa, quibus auxiliū afflictis ad se sincerè refugientibus polliceri est dignatus, vti per regium Vatem: *Inuoca me in die tribulationis: & P sal. 49. eruam te, & honorificabis me.* 4. Propter infinita Filij merita, quibus abundantissimè omnibus hanc gratiosam à malis præseruationem, aut liberationem promeruit. Quanta ergò fiducia in omni angustia ad sinum diuinæ Miseri-

cordiæ nobis confugiendum? Fiducia,
 & feruor se culpa sua non reddendi
 vnquam indignum tanta misericordia.
 III. Quàm perfectè Christus, B. Vir-
 go, alijque Sancti hæc sanctissima in
 his septem Petitionibus comprehensa
 desideria nunc prolixius, nunc breuius
 frequentarint, & quidem modis in-
 nuatis perfectissimis: quoties hæc ea-
 dem desideria breuissimis suspirijs cõ-
 pendiosè iterarint, quam facillè hos, si
 velles, posses æmulari; nunc hos, nunc
 illos affectus paulò prolixius exercen-
 do; nunc breuissimè omnes renouan-
 do, dum corde & ore pronuntias: *A-
 men*, id est, fiat, videlicet desiderando
 à te & omnibus hæc septemplex desi-
 deria perfectissimè renouari, & libera-
 lissimè à Deo impleri. Quod quàm
 facillè est, quàm Deo gloriosam, tibi
 meritorium, proximis fructuosum!
 Hoc tum primùm euidenter videbis,
 quando meritoriè ne *Amen* quidem
 amplius dicere poteris. Feruor fre-
 quentandi affectus & desideria ora-
 tione Dominica comprehensa.

- | | | | |
|------|--|----------------|----|
| VI. | De Caritatis erga pro-
ximum natura, pro-
prietatibus, gradib. | } 6. p. med. { | 23 |
| VII. | De fundamētis huius
fraternæ caritatis. | } 6. p. med. { | 24 |

Dominica XVI. post Trinitatem.

16. Hebdom.
post
Trinit.

De filio viduae resuscitato. Luc. 7.

I.

I. **C**um appropinquaret Iesus porta ciuitatis Naim; ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae viduae. Magna fuit misericordia Saluatoris vltro Naim se conferentis ad hunc adolescentem corporaliter mortuum, praeter tot alios, a morte resuscitandum: At quantum maior eiusdem est caelo in mundum descendens ad humanum genus per peccatorum spiritualiter mortuum vitae gratiae restituendum; & nunc toties se vltro offerentis ad hunc vel illum peccatorem vitam gratiae destitutum, si modo velit, praeter tot alios aeternae mortis caligine obrutis, ad eandem amissam vitam gratiae reuocandum? Agnoscisne simile tibi saepius a Christo misericordiam exhibitam? Grato animo recole, humiliter & feruenter compensare stude.

II. Dominus misericordia motus dixit Vidua: Noli flere; accessit, portatoribus stantibus loculum tetigit, dicens: Adulescens tibi dico, surge, & resedit qui erat mortuus, & cepit

& coepit loqui, & dedit illum matri suae:
 quanto affantis turbæ stupore, quanto
 Matris solatio? quanto filij gaudio?
 nec mirum: quid enim maius, quid
 mirabilius, quàm corporaliter mor-
 tuum ad vitam reuocari? at quantò
 adhuc maius & mirabilius, spirituali-
 ter per lethale peccatum mortuum,
 per redonatum vitam gratiæ ab æterna
 morte liberari? tantò sanè maius &
 mirabilius, quantò terribilior mors
 animæ æternæ, morte corporis tem-
 porali. Quanto ergo maius beneficiū
 exhibet Christus peccator, dum illum
 in tam miserabili statu constitutum
 misericordiæ suæ oculis benignè re-
 spicit, cor eius per pias inspirationes
 ad pœnitentiam emollit, per donum
 compunctionis & propositum emen-
 dationis impertitum eundem erigit,
 ad sinceram confessionem impellit,
 sicque vitæ gratiæ plenè restitutum,
 Matri Ecclesiæ reddit viuum, quem
 illa luxerat mortuum?

Quantò ergo maior à peccatore nò
 semel, sed toties à morte peccati mise-
 ricorditer resuscitato exigitur erga re-
 suscitorem suum gratitudo, & feruor
 se totum eius obsequio impendendi,
 cui se totum tot nominibus debere
 videt,

videt, si videt! Gratitude, feruor
perfectè Deo seruiendi.

III. *Accepit autem omnes timor, & ma-
gnificabant Deum dicentes: Quia Prophe-
ta magnus surrexit in nobis, & quia Deus
visitauit plebem suam.* Homines diuinā
potentiam attoniti suspiciunt, miseri-
cordiam & bonitatem magnificant vi-
sā adoleſcētis defuncti resuscitatione,
quanto magis id faciunt Angeli visā
peccatoris spiritualiter mortui gratui-
ta ad vitam gratiæ reuocatione: &
quidem eò intensus, quò euidentius
vident mortis æternæ, quæ per pecca-
rū lethale accersitur, atrocitatem;
diuinæ miserationis erga tam indignū
inæstimabilitatem; vitæ gratiæ, quæ
gratis restituitur, pretiositatem. Si &
tū hæc oculis fidei clarius perspiceres,
quā te, cum adoleſcente illo resusci-
rato, Saluatori tuo humili, grato, per-
fecto que corde deinceps omni possi-
bili conatu seruire obligatum cerne-
res? Gratitude, amor, zelus nouo

feruore diuino seruitio se-
rotum perfectè im-
pendendi.

De

II. De inuitatione Christi ad instanter & fiducialiter orandum. Luc. II.

Matth. 7.

- I. **C**Hristus Dominus cum formulâ orandi discipulos docuisset, ad instanter & fiducialiter orandum eisdem & nos omnes paternè excitat.
- Luc. II.** I. Parabolâ amici tres panes instanter petentis, & importunitate sua extorquentis. & alibi alia parabola viduæ ab iniusto iudice nec Deum timente, nec homines reuerente, importunitate sua vindictam de iniuria sibi illata tandem impetrantis. Quam indignum id à Patre misericordiarum non sperare, nec instanter petere audere, quod homo ab amico parum beneuolo, imò à iudice iniquitatis potest extorquere.
- Luc. 18.** Fiducia filialis, feruens, constans, & longanimis oratio.
- II. Liberalissima promissione ad idē nos inuitat: *Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis, omnis enim qui petit, accipit, & qui querit, inuenit, & pulsantis aperietur.* Hoc disertè asserit infallibilis Veritas, nec tamen illi reipsa credit humana fragilitas. Si enim verè crederet, quanto fiducialius, instantius, constantius id, quo

quo indiget, flagitaret: nec vnquam se id, aut aliquid melius impetraturum desperaret, præsertim cum toties eandem promissionem tam asseueranter inculcet, vti: *Omnia, quacunque* Marc. IX. *orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis.* Et: *Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Affectus ijdem.

III. Allato simili patris filio petenti nihil denegantis ad idem nos vehementius impellit. Si enim quiuis Pater ex naturalis amoris instinctu filio petenti panem, piscem, ouum, non porrigit pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro oue scorpionem, sed votis eius paternè, prout potest, annuit: quanto magis præstabit id Pater cœlestis, cuius incomprehensibilis charitas & prouidentia erga filios omnem paternam maternamque dilectionem ac sollicitudinem in infinitum excedit? Filialis affectus erga Deum, & recursus ad sinum paternæ eius prouidentia.

(S.)

De

III. De angusta porta & arcta via.
Matt. 7. Luc. 13.

Luc. 13. I. **R**ogatus Iesus, Si pauci sunt qui saluantur, ait: Contendite intrare per angustam portam: quia multi dicent vobis, quarent intrare, & non poterunt. Etenim Patris Sapientia praevidens omnia, & raritatem saluandorum, & numerositatem reprobandorum, quam sero nobis serium eximia perfectionis studium commendat, contendite, inquit, intrare ad vitam per angustam portam, per accuratam scilicet mandatorum, consiliorum, regularum observationem, per iugem mortificationem, per assiduam virtutum & bonorum operum exercitationem, per constantem voluntatis propriae cum diuino in omnibus beneplacito conformationem. Sed heu, quanta caecitas, quanta sollicitudo hominum nihil minus, quam hoc perfectionis studium curantium! quod sero nimis cognoscent & deflebunt, cum quarent ad vitam per angustam portam intrare, & non poterunt. Feruor maturae conuersionis, & feruens assiduumque studium eximia perfectionis.

II. Vehementius idem perfectionis studium

studium inculcat, addens: *quia lata porta & spatiosa via est, qua ducit ad per-* *Matt. 7.*
ditionē, & multi sunt, qui intrant per eam.

Quam angusta porta & arcta via est, qui ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam. Quam meritò sic exclamat admirabunda increata Patris Sapientia, tantam intuens multitudinem hominum per latam portam & spatiosam viam concupiscentiarum oculorum, carnis, & superbiæ vitæ ad inferos cæco impetu ruentium; & tantam paucitatem per abnegationem suarum cupiditatum, & eximiæ perfectionis studium ad cælum seridò contendentium? Si & tu hæc attentius considerares, tuam & aliorum cæcitatem & stupiditatem defleres. Horror laxioris disciplinæ, feruor strictioris diuinarum legum & regularum obseruantia, zelus animarum pereuntium.

III. Minis æternæ reprobationis ad idem maturæ conuersionis & solidæ perfectionis studium nos acrius extimulat, inueniens: *Cum intrauerit Pater familias, & clauserit ostium, & incipie-* *Luc. 3.*
ris foris stare, & pulsare ostium, dicentes, Domine aperi nobis. & respondens dicet vobis: Nescio vos, unde sitis! Si horrendum esse agnoscis à Deo summo & v-
 aico

nico nostro bono nesciri repelli, reprobari in æternitate; time ab eodem per quoduis grauius delictum separari, aut per teporem spiritûs elongari in tempore. Horror & fuga peccati, & tepiditatis.

I V. *De conuersione Magdalena. Matt. 7.*

I. *Inuitatus Iesus à quodam Pharisæo, ut manducaret cum illo, ingressus domum eius, discubuit. Nouerat Dominus se à Pharisæis malitiôsè obseruari, sibi que, quod cum publicanis & peccatoribus familiarius ageret, exprobari; nihilominus ab eo se inuitari permisit, à quo se temere iudicandum præuidit; tum ut ab errore illû liberaret, tum ut illi, inuitatis, & posteris omnibus peccatricis verè pœnitentis ideam imitandam, & abyssalem diuinę misericordię suę erga peccatores sincerè resipiscentes abundantiam suspiciendam ob oculos poneret. Quàm admiranda illa Saluatoris, salutem omnium tam auidè sitientis dignatio, quàm amanda omni acceptione digna miseratio? Amor Iesû, zelus animarum.*

II. *Et ecce Mulier, qua erat in ciuitate peccatrix, ut cognouit, quod accubisset in*
domo

domo Pharisæi, attulit alabastrū unguenti.

O mira mutatio dexteræ excelsi, & potentia gratiæ Christi tam repente cor huius peccatricis obtenebratum sic illustrantis, & induratum sic emollientis, gelu rigidum sic inflammantis, ut fœditatem suorum criminum tam clarè videret, sordes, quas amarat, tam amarè defleret, medicum, quem fugerat, tam sollicitè quæreret: & quæ prius multorum amatorum familiaritatem affectârat, nihil nisi delicias carnis & blanditias mundi quæsierat, nunc vnus tantum cœlestis Sponsi gratiam quærat, nullis nisi castarum mentium delicijs inhiet, exclamans cum Sponsa: *Surgam & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea* *Cant. 3.* Similis gratia quàm miris modis exhibetur omni, qui feruor ad Deum conuertitur; ac proinde simili feruore spiritus foret compensanda, quali compensata fuit à Maria Magdalena. Feruor gratum se pro gratia conuersionis exhibendi.

III. *Stans retrò secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & unguento ungebat.* Quanta in corde Magdalensæ fidei, humilitatis, pœnitent-

ten-

rentiæ, amoris flamma arserit, quæ eam
 immemorem suæ existimationis, me-
 morem suæ deformitatis & preuarica-
 tionis irruere compulit importunam
 conuiuio, futuram conuiuis ludibrio,
 anhelando ad illum, quem solum cre-
 debat vulneribus animæ suæ posse af-
 ferre remedium; retrò stare, se indigna
 Christi conspectu iudicando; rigare
 pedes eius lacrymis, lauando simul
 maculas criminis: capillis tergere,
 conuertendo instrumenta vanitatis in
 instrumenta penitentiae & satisfactio-
 nis! eosdem incessanter osculari, deli-
 derando per frequentes affectus & o-
 scula amoris impetrare osculum paci-
 & reconciliationis: & demum vngu-
 ento vngere, optando vt meliori vni-
 guento virtutum inungi mereretur,
 absterfo foetore vitiorum.

O felix anima, quæ tali cum Magda-
 lena meretur corripri flamma! at mul-
 to felicior, quæ eodem feruore, quo
 illa, conceptæ flammæ impulsu se-
 cuta, diuinæ cooperatur gratiæ? Fer-
 uor seriæ penitentiae.

V.

De eadem conuersione Magdalena.
 ibidem.

I. PHarisæum temerè iudicantem
 Chri

Christum, quasi ignoraret, qualis Magdalena esset, aut à tali se tangi sineret: illam verò quod peccatrix esse perseveraret, cum ex indicijs contrarium colligere deberet, benignè redarguit, vti olim Nathan Dauidem, allata parabolâ fœnatoris, vni debitorũ quinquaginta, alteri quingentorum denariorum debitum gratis condonantis, qui plus ametur ab eo, cui plus donarit; innuendo simul se & occultas Pharisæi cogitationes, & Mulieris intimos affectus penetrare, & ab illa tantò se amplius amari, quò maiora peccata illi forent commissa.

Quanta bonitas Dei ex malis omnibus etiam peccatis Electorum maius bonum elicientis, maiorem videlicet feruorem humilitatis, gratitudinis, pœnitentiæ, amoris! felices illi, qui sic *abluunt sordes in spiritu iudicij & spiritu ardoris*, vti in ijs compleatur illud, vti *Isa. 4.* in Magdalena completum fuit: *Sicut fuit sensus vester, vt erraretis à Deo, decies tantum iterũ conuertentes, requiretis eum.* Feruor maioris humilitatis, gratitudinis, pœnitentiæ, amoris, zeli ex recollectione peccatorum sibi remissorum.

II. Deinde parabolam applicat, Magdalenam defendit & laudat, eiusque

O o

amo.

amorem prædicat, singula eius indicia recensendo, tandemq; concludit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multum: cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Quam placet Christo feruor peccatoris serio resipiscantis! quã displicet tepor iusti spiritu languentis! Quam inuestigabiles viæ diuinæ providentiæ, quibus Electos suos tam mirabiliter per viã perfectionis deducit, & potenter ad gloriam illis prædestinatam euehit; nonnullos è peccatorum cœno emergentes, per feruentem conuersionem breui tempore ad altiorem charitatis, gratiæ & gloriæ gradum, quàm multos iustos & innocentes tepidè sibi multis annis seruientes, iusto iudicio, ex gratuita misericordia euehendo! Quantum hoc peccatori serio resipiscere volenti solatium, quantum ad feruorem spiritus concipiendum, augendum, conseruandumque incitamentum! Horror tepiditatis, feruoris seriæ conuersionis.

III. Demum conuersus ad mulierem ait: *Remittuntur tibi peccata tua.* Quanta admiratione simul discumbentiã præ stupore intra se dicentium: *Quis est hic, qui etiã peccata dimittit?* At quantò maiore exultatione mulieris tam graui

peccatorū sarcina liberatæ, præsertim cum ulterius audijt: *Fides tua te salvam fecit, vade in pace?* Quã subito lacrymæ tristitiæ & doloris conuersæ sunt in lacrymas gaudij & amoris! Quã subito irrequietus conscientia remorsus, & crudele tormentum versum est in pacè superantem omnem sensum, & ineffabile gaudium! O quanta benignitas Saluatoris, cuius verè pœnitenti hæc eadem amoris signa exhibentis, eadem fauoris & gratiæ pignora impertientis! Agnosce, suspice, & compensare eam stude, & quidem eo, quo Magdalena insatiabili feruore pro peccatis diuinæ iustitiæ satisfaciendi, Christum perfectissimè redamandi, omniq̃ obsequiorum genere demerendi. Feruor pœnitentiæ, gratitudinis, amoris, & zeli gloriæ Christi.

De actib. internis fraternæ caritatis perfectè exercendis, oppositisq; defectibus fugiendis.

25 VI.

6. p. med.

De externis eiusdem actibus piè exercendis, oppositis defectibus cauendis, & incitamentis.

26 VII.

18. hebd.
post
Trinit.

Dominica XVII. post Trinitatem.

I. De Hydropico curato. Luc. 14.

I. **C**um intraret Iesus in domum cuiusdam Principis Phariseorū Sabbatho manducare panē, & ipsi observabant eum. Magna fuit dignatio Christi cū publicanis & peccatoribus manducantis: ac maior eiusdem se à Phariseis infensissimis hostibus & calumniatoribus inuitari permittentis, vt sic hydropici, quem sciebat sibi proponendū, hydropis in corporalem, & illorum, à quibus is calumniandi gratia proponebatur, spiritualem curaret, idque ex gratuito dilectionis & cōmiserationis affectu. Zelus in operibus misericordiae corporalibus & spiritualibus quauis occasione frequentandis.

II. Præsentato sibi hydropico, quæritum Sabbatho curate liceat; illis tacentibus eundem sanat, & sanare die Sabbathi licere, allato simili, de asino in foueam cadente, probat. Quanta mansuetudo Domini tam malitiosam eorum

eorum calumniandi libidinem, non acriter exagitantis, sed tam modestè simul & solidè refutantis! Quanta charitas non solum hydrophysin huius afflicti corporalem benignè sanantis, sed spiritualem eorum multò periculosiorem sanare avidè desiderantis! O si scires, quàm grauis & horrenda sit hydrophis animæ superbia tumentis, perpetuâ siti opam, honorum, voluptatum æstuantis, quantoperè illam horresceres, quàmque sollicitè præcaueres! Quantum beneficium ab illa liberari, aut præseruari æstimares! Manuetudo, horror superbiæ, & mortificatio inordinatarum concupiscentiarum, quarum sitis nunquam extinguitur.

III. Ut efficacius Pharisæorum superbia inflatorum spiritualè hydrophysin sanaret, subdit parabolâ: *Cum inuirtatus fueris ad nuptias, recumbe nouissimo loco.* Quisquis cupit ab inflatione mentis liberari, aut præseruari, gratis in hac vita ditari, gloria in altera sublimari, nouissimū locum semper eligat, nulli se præponat, vilissimum omnium se reputet. *Quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, & omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exal-*

1. Pet. 5.

exaltabitur. Insuper se contemni & vilissimum reputari gaudeat, crebro inspicendo Christum amore nostri fieri dignatum nouissimum virorum; Paulum reputantem se primum peccatorum & minimum Apostolorum, Dauidem se aestimantem canem mortuum & pulicem viuum; Sanctos reliquos sanctitate eximios agnoscens putum purum suum nihilum. Profunda humilitas, sui que despicientia.

H.

De diuini verbi Observatoribus, matris & sanguine iunctis, à Christo praelatis, Matth. 12. Luc. 8.

Marc. 3.

Luc. 8.

I. *Venerunt ad Iesum Mater & fratres eius, & non poterant audire eum pro turba, & nunciatum est illi. Mater tua & fratres tui stant foris volentes te videre.* Christo in domo quadam concionante ad turbas, B. Mater aliàs ordinariè Filium prædicantem sequi solita, superueniens cum eius consobrinis & cognatis præ modestia non indecorè eum interpellauit, sed foris stans verba gratiæ, quæ procedebant de ore eius, reuerenter audiuit. Quanto humilitatis & deuotionis affectu, quanto

to diuinæ gloriæ & salutis hominum
promouendæ desiderio ! quàm liben-
ter suum solatium , quod ex familiari
filij alloquio habere posset, postposuit
conuersioni tot auditorum ! Cum id
circumstantes cernerent , vel ex bono
affectu, vel ex malevolentia forsân nō-
nulli, à Christo acrius reprehensi, per
Iudibrium illi intimarunt aduentum
Matris & Fratrum; quasi dicere vellent :
En tu te Salomone, Iona maiorem, &
Filium Dei de cœlo delapsum iactas,
viden' radicem tuam , pauperulam
matrē, & fratres te quærentes ! Quod
quanta humilitate & mansuetudine
Christus cum B. Virgine tolerarit ?
Humilitas & mansuetudo, modestia.
Zelus gloriæ Dei & animarum.

II. *Et respondens eis ait : qua est Mater* *Matt. 23.*
mea, & fratres mei? & circumspiciens eos,
qui in circuitu eius sedebant, ait: Ecce ma-
ter mea & fratres mei: Mater mea & fra- *Luc. 11.*
tres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt
& faciunt. Non fecit hoc humillimus
Iesus, & obseruantissimus tantę Matris
filius ex contemptu, quasi illi maternę
charitatis officia minus grata essent,
nec ex pudore, quasi eum pauperulę
matris & humanę cognitionis pude-
ret ; sed ex zelo glorię Patris & salu-

ris animarum, ut ostenderet, spiritua-
lem cognationem longè carnali præ-
ferendam, & naturali erga matrem &
cognatos affectui zelū diuinæ gloriæ
longè anteponendum: atque ut do-
ceret exemplo, quod docuit verbo:

Luc. 14. *Qui amat Patrem vel Matrem plus quam
me, non est me dignus.* Neque id agē-
tulit humillima Mater, quæ & sine-
rissimum filij sui erga se affectum ex-
ploratum habebat, & causam, cur ita
loqueretur, intimè penetrabat. Mor-
tificatio affectus carnis, zelus diuini
honoris.

Matt. 12. *III. Quicumque enim fecerit voluntatem
Patris mei, qui in cælis est, ipse meus fra-
ter, & soror, & mater est.* Quantum est
hoc solatium omnibus propriæ alie-
næq; perfectionis seriò promouenda
studiosis, qui & diuinam voluntatem,
per accuratam præceptorum, confi-
liorum, regularum obseruationem
implere, suamque voluntatem cum
diuina in omnibus conformare, atque
ad hæc eadem alios, quotquot possunt
verbo, exemplo, orationis præsidio
excitare satagunt: cum hac ratione ad
summam in terris gratiæ, & in cælis
gloriæ prærogatiuam euehantur! Vis
ergo esse frater Christi, & cohæres re-
gni,

gni, stude semper & in omnibus prædicto modo implere sanctam voluntatem Dei. Vis insuper esse Mater Christi; quotquot potes; & quocunque modo potes; inuita, excita, impelle ad perfectè amplectendam & exequendam voluntatem Dei: quotquot enim ad hoc pertrahes, tot filios spirituales, & Christi fratres, imò toties in singulorum cordibus Christum ipsum paries. Zelus semper & in omnibus amplectendi & exequendi diuinum beneplacitum, atque ad idem alios excitandi.

De Nazarenis Christum præcipitare III.
volentibus. Matt. 13. Marc. 6.

Luc. 4.

I. **V**enit Iesus in patriam suam Nazareth, ubi erat nutritus; ingressus Synagogam die Sabbathi cepit docere, & oblatum librum Isaia Propheta reuoluens, inuenit locum, ubi scriptum erat: Spiritus Domini super me; propter quod unxit me: Euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde; predicare captiuis redemptionem & caecis visum. Et cum pliuisset librum, cepit dicere: quia hodie impleta est hac scriptura in auribus vestris. Christus vniuersalis omnium Saluator.

O o s

uator

nator unctus à Deo Patre, plenitudine omnium cœlestium charismatum, licet inchoare prædicationis officium in patria sua noluerit, ne videretur ad id humano affectu permotus; non tamen omninò prætereundum censuit, quantumvis prævideret tantâ gratiâ indignam. Quanto zelo saluiss conciuuium suorum locum citatum Isaia in Synagoga prælegerit & explanarit ijs, à quibus nouerat se contemnendū! Quanto desiderio beneficia istius comprehensa exhibere exoptarit ijsdem, à quibus præsciebat se ad necem quærendum! Heu quod id nō agnouit ingrata Nazareth; quæ tunc conuenienter nomini suo verè florida & sancta fieri potuisset, si Sanctum sanctorum auctorem omnis sanctitatis, & florentis campi pulcherrimū reuerenter excepisset! Quam florida quoque & sancta breui fieret anima, quam veritas inuenerit & ad perfectionem impellit, loquentem audiret & impellentem sequi vellet! Zelus animarum, charitas erga ingratos.

II. Cū illi mirarentur, calumniarentur, & scandalizarentur in doctrina eius, & miracula patrandi potentia, eo quod ex humili profapia esset oriundus

oriundus, dicentes: *Nonne hic est filius
 Ioseph, fabri filius? Nonne hic est faber filius
 Maria. Vnde ergo illi omnia ista?* Arguit
 eorum temerariam malevolentiam &
 ingratitude: *Amen dico vobis, quia
 nemo Propheta acceptus est in patria sua.*
 Idque probat exemplo Eliæ tempore 3. Reg. 17.
 famis ad Sareptanam viduam Sido-
 niam, vt ab ea sustentaretur, à Deo
 missi: Et Elisæi solum Naaman Sy- 4. Reg. 5.
 rum leprosum, præ tot leprosis in
 Israel mundantis. Quanta mansuetu-
 dine & efficacia eorum calumniam
 refellit, & ingratitude perstrin-
 git, nec tamen quicquam proficit!
 Idem cuius ingrata & contumaci-
 animæ præstat, dum eam ad resipis-
 cendum inuitat, sed heu quoties ir-
 rito conatu! Zelus constans erga in-
 gratos, Horror ingratitude.

III. *Hac audientes ira repleti surrexerunt,
 & eiecerunt illum extra ciuitatem,
 & duxerunt illum vsque ad superciliū
 montis, vt precipitarent eum. Ipse autem
 transiens per medium illorum ibat.* Quar-
 ta inuidia & crudelitas ingratorum
 Nazarenorum erga amantissimum sa-
 lutis suæ Filium Dei, Saluatorem &
 Magistrum mundi, apud ipsos incar-
 nari & educari dignatum! Multò sane:

Q. 6.

maior

maior quam fratrum Iosephi erga eundem innocentissimum & fratrum suorum amantissimum! At quantò maior Saluatoris erga eosdem charitas, ut quamuis tum pro ipsis à tanta cæcitate & ingratitude liberandis, mortem subire paratus esset, si ira æterno Patri placuisset, attamen idèò tunc mortem euitarit, ut plura & atrociora pro ijs pati posset. Detestatio inuidiæ & ingratitude, eximia ergà inimicos charitas.

De missione 12. Apostolorum.

Matt. 9. & 10.

Matt. 9. I. Videns Iesus turbas miseris esse quia erant vexati & iacentes sicut oves non habentes Pastorem, tum dicit discipulis suis: messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut emittat operarios in messem suam. Quod tunc discipulis pius Dominus intuens tot animarum interitum, cum intimo compassionis affectu dicebat, quoties idem auribus mentis nostræ insusurrat, dum nobis ob oculos ponit, tantam turbam hæreticorum, politicorum & malorum Christianorum, in perfidiæ & ignorantie tenebris miserè pereuntium, & instar iu-

mentorū in stercore voluptatum & vanitatum mundi computrescentium: Et tantam raritatem eorum, qui ijs verbo, exemplo, consilio & auxilio opitulari dignentur, qui sincerè Dei gloriam & salutem animarum, & non quæ sua sunt quærant? Quanto proinde feruore & nos ipsos ad laborandum in hac sancta electorum messe in horreum Domini congreganda offerre, & vt quam plurimos zelosos operarios, viros secundum cor suum excitare dignetur, obnixè efflagitare oporteret! Compassio, zelus sincerus animarum.

II. Et conuocatis 12. discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, Matt. 10. vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem, precipiēs eis: Euntes predicate dicentes: quia appropinquauit regnum cælorum: gratis accepistis, gratis date. Quanto gaudio pius Dominus hos 12. Apostolos ad prædicandum Euangelium regni emittebat, præuidens in illis tot millenis viros Apostolicos horum zelum æmulaturos! Quanto zelo omnium hominum vsque ad finem mundi creandorum salutem striebat? quanto desiderio quã plurimos feruentes operarios, qui se

idonea in conuersione animarum preberent instrumenta, exoptabat?

Quantoperè eorum dem eximiam perfectionem, profundam humilitatem, & profusam in datis sibi gratis talentis & charismatis; gratis vicissim alijs impertiendis liberalitatem desiderabat?

Zelus feruens & gratuitus proximos per talenta sibi concredita iuandi

III. Modum perfectionis & prædicationis ijs exponit: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in xonis vestris; non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgā; dignus est operarius cibo suo. Inrantes autem in domum, salute eam: Pax huic domui.* Ne anxia sollicitudine rerum temporalium in officio suo fungendo præpediantur, monet non solum rerum superfluarum curam abijciendam, sed etiam necessariorum in sinu diuinæ providentiæ, quæ fidelibus operatijs necessaria deesse non patitur, esse reiiciendam: Vitandas deinde officiosas amicorum salutationes, plurimum Apostolici muneris functionem retardantes: demum omnibus ad quos diuenterint, pacem impertiendam, licet non omnes eam sint recepturi, Euangelicæque veritatis lucem propo-

proponendam, licet non omnes eam
sint amplexuri. Quam expeditos ab
omnibus sæcularibus curis & nego-
rijs, quam zelosos complectentes om-
nes in visceribus charitatis Euangelij
præcones cupit esse is, qui quod do-
cuit verbo, prius exhibuit exemplo!
Paupertas, confidentia in Deo, zelus
amplus & indefessus omnibus Chri-
stum annunciandi.

*De prædicatione persecutionum Apostolis
imminentium. Matt. 10. VI.*

I. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio
luporum. Estote ergo prudentes sicut
serpentes & simplices sicut columba. Præ-
monet eos de imminentibus persecu-
tionum procellis, & præmunit contra
easdem clypeo prudentiæ serpentis,
& simplicitatis columbinæ; volens ni-
mirum eos instar serpentis voces in-
cantantium, seu blanditias persecuto-
rum animæ insidiantium contemne-
re, & potius totum corpus dilaniandū
offerre, quam fidem & salutem æter-
nam perdere, & occasiones animas
saluandi, prout serpens antiquus eaf-
dem perdendi quæsiuit, prudenter
captare: atque instar columbæ
sinn.

simplicis felle carentis, iniuriarum immemoris, erga omnes quantumvis crudeles Tyrannos mansuetudinem, patientiam, charitatem insinuare, non pro malo malum reddere, sed malum in bono vincere. Quam præclare hæc omnia præstitere sancti Apostoli, & tot Apostolorum æmulatores, qui diuina virtute freti, non solū velut agni inter lupos, plusquam lupinam eorum rabiem gloriosè eluserunt, sed sæpe numero lupos ipsos in agnos conuerterunt! Suspice diuinam potentiam, & æmulare eorum prudentiam, patientiam, constantiam.

M. Tradent enim vos in concilijs, & in Synagogis suis flagellabunt vos, & ad Præsides & Reges ducemini propter me, in testimonium illis & gentibus; cum autē tradent vos, nolite cogitare, quid aut quomodo loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Prædicit ijs apertius persecutiones Iudæorum & gentium contra eos concitandas, simulq; illos in spem erigit peculiarem illis promittendo assistentiam in confutandis & eludendis omnibus aduersariorum machinationibus. Quod liberaliter promisit, liberalius præstitit, & porro præstare non desinit omnibus amore sui

sui persecutiones patientibus. Quis huius tam paternæ Dei providentiæ clypeo tectus aduersariorum machinamenta, calumniatorum opprobria, persecutorum tormenta horreat, & nõ potius omne gaudium existimet, si eiusmodi amore Christi tolerandi occasio sibi obtingat! Patientia in aduersis, magnanimitas, & in Deo confidentia.

II I. *Non est discipulus super Magistrum, nec seruus super Dominũ suum: si Patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?* Exemplo suo eisdem ad tolerantiam persecutionũ, calumniarũ, iniuriarũ animat: quã flagranti desiderio eos ad feruentẽ sui imitationem prouocandi, atque ad sublimiorẽ gratiæ & gloriæ gradum prouehendi? Qui talem ducem per viam crucis sequi detrectat, amplioris gloriæ brauium sibi porrectum acceptare recusat. Zelus sequendi Christum per viam crucis ad regnum.

De Misericordia, eiusq; actibus, internis & externis pie frequẽtandis, & incitamentis.

De Prudentia eiusq; actibus & incitamentis.

27 VI.

6. p. med. 28 VII.

Domi.

18. hebd.
post
Trinit.

Dominica XVIII. Post Trinitatem.

li

De mandato magno in lege.
Matth. 22.

I. Iesus pharisæo cuidam legisdo-
ctori roganti: quod esset *mandatum*
magnum in lege? Respondit: *Diliges Do-*
minum Deum tuum ex toto corde tuo, &
in tota anima tua, & in tota mente tua,
hoc est primum & maximum mandatum.
Quantò æterna Patris sapientia hu-
ius præcepti sublimitatem melius no-
uerat, tantò affectuosius eius cogni-
tionem & æstimationem, quavis ob-
lata occasione inculcat; eò quod sit
præcipuum legis naturalis, scriptæ &
Euangelicæ mandatum, finis omnium
cæterorum, & assiduum supremæ
virtutis charitatis exercitium. Et
quanto eminentius omnem eius præ-
cepti perfectionem intellectu, affectu
& effectu iugiter adimplebat; tanto
sollicitius eiusdem accuratam obser-
uationem omnibus cõmendabat. Quan-
tò ergò studio merito nobis ad exi-
miam

miam charitatis Dei perfectionem
 hoc mandato contentam foret con-
 tendendum, conando Deum infinito
 amore dignissimum amare super om-
 nia, perfectissimè quoad intellectum,
 affectum, & vires corporis & animæ
 omnes; per frequentationem actuum
 interiorum & exteriorum amoris
 Dei, modo secundum omnem dimen-
 sionem perfectissimo, videlicet volen-
 do & fauendo ipsi omne bonum in-
 trinsecum & extrinsecum; amplecteu-
 do omne eius beneplacitum; adim-
 plendo omnem voluntatis nutum,
 purissimè propter ipsum, intensissimè
 quoad affectum & conatum; constan-
 tissimè inter prospera & aduersa; insa-
 tiabilissimè quoad heroica perfectius
 amandi desideria. Zelus proficiendi
 in amore Dei, cuius actus hic modo
 insinuato exercendi.

H. *Secundum verò simile est huic: Dili-
 ges proximum tuum sicut te ipsum, in his
 duobus preceptis uniuersa lex pendet &
 Propheta.* En quanti sinceram dilectio-
 nem proximi faciat Filius Dei, qui &
 ipsius præstantiam & animæ rationa-
 lis dignitatem, & æterni Patris volun-
 tatem penitissimè norat, vt præceptū
 de diligendo proximo simile asserat
 esse

esse præcepto de diligendo Deo, atque
 utrumque simul sumptum esse omni-
 um, quæ in lege Mōyſis & Prophetis
 continetur, ſummarium. Simili igitur
 quoque conatu nobis conſtitendum
 erit, ad eximium in dilectionem pro-
 ximi profectum, actus eius tam inter-
 nos quam externos perfectè frequen-
 tando, omnesque defectus eis oppo-
 ſitos ſollicitè cauendo. Zelus profici-
 endi in amore proximi, cuius actus et-
 iam hic exercendi.

III. *Congregat. s. Phariſais interroganti
 eos Ieſus: quid vobis videtur de Chriſto,
 cuius filiu eſt? aiunt ei, David* Errorum
 Iudæorum arbitrantium Meſſiam pu-
 rum hominem futurum, aperte reſel-
 lit, oſtendens eum non ſolum filium
 Davidis, ſed inſuper filium Dei futu-
 rum, cum is ipſum vocet Dominum
 dicens: *Dixit Dominus Domino meo in*
Psalm. 109. in quo æterna Chriſti ex
 Deo Patre generatio, ſacerdotium, re-
 gnum & poteſtas iudiciaria manifeſtè
 prædicatur. Quam ſtudioſè Chriſtus
 ubique captat occaſionem, de omni-
 bus etiam inimicis benemerendi, eos
 inſtruendo, monendo, in viam ſalutis
 dirigendo, eorum malevolentiam be-
 neuolentia compenſando. *vti hic facit,
 dum*

dum calumniatoribus suis inculcat agnitionem suæ diuinitatis, ex qua pendet beata æternitas. *Hac est enim, ut ipse testatur, vita aeterna, ut te cognoscant verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Zelus imitandi Christum in beneficentia erga omnes etiam inimicos, zelus animarum.

De Christo ambulante super aquas.

II.

Matt. 14. Marc. 6.

I. **C**ompulit Iesus discipulos intrare nauiculam & precedere eum transfretum, donec dimitteret turbas, & dimissa turba ascendit in montem solus orare. Suspice immensam erga suos discipulos charitatem Christi, pro ipsis usque ad quartam vigiliam noctis in oratione perseverantis; eosdem quantumuis inuitos à se ad tempus seiungentis, & tempestate exorta iactari in mari permittentis! Annon similem etiam Ecclesiæ fluctuanti, & cuius electorum inter desolationum & tentationum fluctus suspiranti, semper exhibuit, nunc exhibet, & porro paratus est exhibere? Idem qui tunc in monte solus pro electis orabat, nunc ad dexteram Patris

Patris

Parris pro iisdem interpellat; qui tunc discipulis suauem suam præsentiam subtraxit, nunc quoque electis gratiæ suæ visitationis subinde subtrahit: qui tunc illos procellis agitari permittit, nunc quoque hos desolationū & aduersitatum fluctibus non raro circumagi permittit. Quam is ergo in omnibus his merito est redamandus, & glorificandus? Amor Dei, resignatio.

II. *Naucula autem in medio mari iactabatur fluctibus. Et vidit eos laborantes in remigando.* Quam grande nobis in omnibus ærumnis, tentationibus, periculis deberet esse solatium recogitare hæc omnia? quæ patimur, permitti à patre amantissimo maioris nostræ perfectionis, gratiæ & gloriæ, iugiter nos misericorditer intuente, ad fortiter contra tentationes dimicandum, ad generosè omne aduersitatum genus tolerandum nos animante, auxiliatricem dexteram porrigente, ad brauium perseverantiæ apprehendendum exhortante! Quis hæc ruminans ventos contrarios tribulationum timeat? aut in remigando deficiat? Magnanimitas in aduersis, fiducia filialis.

III. *Circa quartam vigiliam noctis venit ad eos, ambulans super mare, cumque*

contin.

conturbati phantasma esse putarent, statim Iesus locutus est eis, dicens: habere fiduciam, ego sum, nolite timere. O ineffabilis Domini bonitas, qui ideo electos ad tempus affligi permittit, solatium ijs auxiliumque subtrahit, vt virtutem eorum probet, meritum augeat, gaudium impleat: quanto solatio id videbimus, quando ex procelloso huius mundi pelago, ad portum æternæ felicitatis enatabimus? Amor, fiducia, resignatio ad omnia aduersa.

De Petro ambulante super aquas.
ibid.

III.

I. **R**espondens Petrus dixit: Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas, at ipse ait: veni, & descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam, vt veniret ad Iesum. Ingens in corde Petri fidei, fiduciæ & charitatis incendium ardebat, quo illuminatus & inflammatus Christum non parum hominem, sed Dei filium potentissimum, cui omnes creaturæ ad nutū deseruiant, agnoscebat; ad eundem vt potè infinite amabilem quamprimum
si pla.

si placeret aduolare cupiebat: nece-
 dentes fluctus diuina eius fretus po-
 tentia, si iuberet calcare metuebāt.
 Quid non potest sincera & magna fi-
 des? Quid non audet humilis & resig-
 nata fiducia? quid non tentat amore
 dilecti sincera & feruens charitas? Et
 quid hæc tria, si coniuncta sint, non
 impetrant. Annuit Christus benignè
 votis Petri longè vires suas exceedētia
 desiderantis & molientis: an non an-
 nuet votis tuis, & cuiusuis electi per-
 fectissimè ipsi etiam supra vires place-
 re, eius gloriam & proximorū salutem
 promouere gestientis? Zelus ardorem
 fidei, spei & charitatis Petri imitandi
 concipiendus, affectusq; earundem vir-
 tutum præcipui hic exercendi.

II. *Videns verò ventū validum timuit, &
 cū cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine
 saluum me fac. Et continuo leuis extendens
 manum apprehendit eum: & ait illi, mo-
 dica fides, quare dubitasti?* En speculum
 humanæ fragilitatis tam subito inter-
 tentationum & aduersitatum fluctus
 animum despondentis, in coneepto
 feruore spiritus intepescentis, de per-
 seuerantia & salute periclitantis: Et
 infinitæ pietatis & misericordiæ sal-
 uatoris tam promptè filijs periclitan-
 tibus

libus paternam dexteram porrigentis, ex desperationis & pusillanimitatis abyſſo eruentis, nouum feruorē & robur ſpiritus imperietis. Agnitio & depreſſio ſui nihili, agnitio & exaltatio infinitæ potentia & bonitatis Dei.

III. *Et cum aſcendiſſent in nauiculam, ceſſauit ventus. Qui autem in nauicula erāt, venerunt & adorauerunt eum dicentes: Verè filius Dei es.* Quale fuerit diſcipulorum gaudium, cum cernerent tempeſtatē ſedatam, amantiſſimum Magiſtrum præſentem, turbam eorum, qui erant in nauī eiufdem potentiam ſuſpicientem & diuinitatem adorantem! Simile nõ rarò gaudiū experitur quifquis electorum ex magna tentatione, tribulatione, & anguſtia repente à diuina prouidentia eripitur. At quantò liquidius tandem diuiniuſq; erit gaudium, quod experientur electi, cum enauigato naufrago huius vite pelago appellentes ad littus beatæ æternitatis, videbunt perpetuam patriæ cœleſtis tranquillitatem, æternam optatiſſimamque dulciſſimi Saluatoris ſui præſentiam, & totam cœleſtem curiam eundem adorantem, & miſericordias eius æternum cantantem! Amor, gratitudo, deſiderium cœleſtis patriæ.

IV.

De confessione Petri. Matt. 16.

I. **C**hristus interrogabat discipulos suos: quem dicunt homines esse filium hominu? at illi dixerunt: alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij Ieremiam, aut unum ex Prophetis: dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? Amantissimus profectus spiritualis suorum discipuloru Magister Christus percontando, quid homines, & quid ipsi de filio hominis sentiant, captat occasionem clarus ijs seipsum manifestandi, & quanta ijs præ reliquis concessa sit gratia prærogatiua, enucleatius declarandi, vt sic in cognitione mysteriorum fidei plenius illuminati, alios quoque perfectius illuminarent, & charismata sibi gratis impertita pluris facerent, & gratiores pro ijs existerent, aliosque ad idem incitarent. Idem tibi spiritualiter præstat, quoties intus illuminatus & beneficia peculiaria tibi collata in memoriam reuocat. O si illum sapius te sic interrogantem: quid de filio Dei pro te facto filio hominis, quid de tanto eius amore, quid de tantis beneficijs sentis? quid illi merito retribuendum censes? attentè audire dignè

dignareris ; quam incredibili eius amore, quam feruenti perfectionis desiderio inflammaberis ! Amor Iesu, gratitudo, zelus diuinis inspirationibus parendi.

II. Respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus filius Dei viui. Respondens autem Iesus dixit ei : beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in calis est. Quanto zelo amoris & honoris Magistri sui, quanto cordis gaudio Petrus speciali gratia ob feruorem suum praeuentus, alios condiscipulos praeueniens, quid de Christo sentiret, paucis verbis exposuerit, exclamans: Tu es Christus filius Dei viui; quasi diceret, Tu es verus ille *Agg. 2.* Messias olim Iudæis promissus, Ille desideratus cunctis gentibus, ille sacerdos æternus secundum ordinem *Dan. 9.* Melchisedech. Ille Propheta quem omnes debent audire, Ille Sanctus sanctorum, Ille vnctus oleo exultationis prae participibus suis : Tu es filius *Hebr. 1.* Dei viui, non adoptiuus, sed naturalis. Quanto maiore zelo glorię Patris, & ipsius salutis, quanto maiore gaudio & congratulationis affectu Christus responderit: Beatus es Simon, & prærogatiuã gratiæ singularem illi

concessam extollendo, & fontem e quo illa profluxit, gratuitam nimirum æterni Patris misericordiam & liberalitatem apertè illi demonstrando, ut sic intimam humilitatem conseruaret, & se gratiorem auctori gratiæ exhiberet. O si tot peculiare tibi à Deo gratias ex gratuita benignitate Dei communicatas, ut par est, agnosceres, quam te felicem, præ tot alijs censeret! quanta humilitate te his indignè reputares! quanto feruore compensare studeres! Aestimatio gratiæ uocationis ad fidem & perfectionem, gratitudo & feruor cooperandi.

III. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam.* En quam liberaliter Christus feruorem fidei & charitatis Petri, etiã in hac vita remunerat, constituendo eum supremum suum in terris vicariũ, secundarium Ecclesiæ suæ fundamentum, dando illi summum ligandi & soluendi Pontificium! Quanto liberalius eius, omniumque eiusdem feruorem æmulantium assiduos conatus in diuina gloria, per se aliosque laicius propaganda, in altera remunerabit! Amor, feruor perfectè Deo seruiendi.

De Martyrio & cruce ferenda. Matth. V.

16. Vers. 21.

I. **C**um Iesus prædixisset discipulis instantem passionem & mortem suam: *Assumens eum Petrus, cœtibus increpare illum, dicens: absit à te Domine: non erit tibi hoc. Qui conuersus dixit Petro, vade post me Satana, scandalum es mihi, quia non sapi qua Dei sunt, sed ea qua hominum.* Quantus Christi feruor patiendi omnia ab æterno prædefinita! Quantus zelus sanctissimam æterni Patris perfectissimè implendi voluntatem, quam vt humanis rationibus longissimè præferendam ostenderet, Petrum, quatumuis ex tenerissimo erga se amore eidem reluctan-tem, tam durè increpare non dubitauit. Amor crucis, resignatio.

II. *Tunc Iesus dixit discipulis suis: si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Regiam, certam ac securam ad cœlum viam esse continuam sui suarumque cupiditatum mortificationem, heroicam omnium ærumnarum, persecutionum, iniuriarum, calumniarum.

Pp 3. dolo.

dolorum, cruciatuum, omniumque
 quæ à Deo immittuntur, vel permit-
 tuntur, aduersitatum tolerantiam, ab-
 solutamque omnium in hoc mundo
 carorum, ac vitæ demum ipsius, si glo-
 ria Dei postulet, abnegationem, cum
 tam disertè infallibilis veritas asserat,
 quis contra hiscere, nisi animam suam
 velit perdere, audeat? imo quis hanc,
 quantumuis asperam crucis viam in-
 gredi cum alacritate & gaudio non
 gestiat, quam dulcissimi Saluatoris sui
 vestigijs calcatam & complanatam
 cernit. Feruens amor mortificationis,
 crucis, Martyrij

III. Ad hanc regiam crucis viam in-
 trepidè exemplo suo ingrediendam
 nos efficacibus hisce stimulis inuitat.
 1. ob oculos nobis ponendo pericu-
 lum æternæ damnationis, quæ extra
 hanc viam incurritur: *Qui enim vo-
 luerit animam suam saluam facere, perdet
 eam.* 2. Inæstimabile pretium ani-
 mæ rationalis, quæ extra eandem
 viam crucis perditur: *quid prodest ho-
 mini, si uniuersum mundum lucretur,
 anima vero sua detrimentum patiatur?
 Aut quam dabit homo commutationem
 pro anima sua?* 3. Memoriam iudicij
 & æternæ retributionis. *Filius enim
 homi-*

hominis venturus est in gloria Patru sui
cum Angelis suis, & tunc reddet unicui-
que secundum opera eius. Quis crucem
horreat, si hæc intelligat, credat, &
expendat. Affectus ijdem.

De iustitia, eiusque actibus & incita- mentis	} 29	VI.
De religione, eius- que actibus & in- citamentis		
	} 6. p. med.	} 30

Dominica XIX. Post Trini-
tatem.

19. hebd.
post
Trinit.

De Paralytico. Matth. 9.

I.

I Iesus Paralytico iacenti in lecto sibi ob-
lato ob fidem deportantium dixit: con-
fide fili, remittuntur tibi peccata tua. Ex
abundantia bonitatis suæ Iesus spiri-
tualem prius, quam corporalem
paralyfin huius afflicti curat, ut o-
stendat 1. morbos mentis esse peri-
culosiores & grauiores morbis cor-
poris. 2. Languores spirituales ple-
rumque esse causas & radices languo-

Pp. 4. *rum.*

rum corporalium. Permitti à diuina
 prouidentia morbos & miseras cor-
 porales ad expiandas culpas, & præ-
 cauendas ægrotudines spirituales. Se
 liberaliorem in beneficijs conferen-
 dis, quam nos in petendis, neque id
 solum intuitu propriorum, sed etiam
 alienorum meritum. Quanta ergo
 misericordia Dei censenda est, mor-
 bis, ærumnis & afflictionibus varijs
 exerceri! quanta fiducia in his omni-
 bus ad paternam Dei prouidentiam
 recurrendum, vt desideratum ex his
 malis elicere dignetur bonum. Resig-
 natio, & filialis fiducia in aduersis.

*III. Dicentibus scribis intra se, hic bla-
 sphematur, videns cogitationes eorum, dixit:
 Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris:
 quid est facilius dicere, dimittantur tibi
 peccata; an dicere, surge & ambula.
 Quam mansuetè illorum calumnias
 refellit, non proluxa verborum con-
 tentione, sed miraculosa beneficij ex-
 hibitione; vt nos doceret, calumnia-
 torum ora, nō tam arguta obiectarum
 cauillationum refutatione, quam ex-
 emplari vita & constanti bonorum o-
 perum exercitatione esse obstruenda.
 Mansuetudo erga calumniatores, stu-
 dium conuersationis exemplaris.*

III. *Videntes turba sic curatum Paralyticum, timuerunt & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.* Vti hic scribæ Christi, tantum miraculum patrantis, potentiam & bonitatem temerè iudicant, reprehendunt & blasphemant; turbæ verò suspiciunt, laudant & glorificant: Sic in hodiernum vsque diem opera diuinæ potentæ, iustitiæ & misericordiæ reprobi temerè dijudicant, improbant, damnant; Electi reverentur, probant, glorificant. Quanta ergo reuerentia, submissione ac deuotione omnia diuina iudicia, decreta, permissiones & opera sunt suspicienda, probanda & amplectenda! Reuerentialis admiratiõ & approbatio diuinorum iudiciorum & operum.

II. De transfiguratione Domini. Matt. 17.
Luc. 9.

I. IESUS cum ad amorem crucis & martyrium suos discipulos ad
 Matt. 16. hortatus esset, subiecit: Amen dico vo-
 bis, sunt quidam de hic stantibus, qui non
 gustabunt mortem, donec videant filium
 hominis in regno suo. Et post dies sex as-
 sumpsit Petrum, & Iacobum, & Iohannem
 fratrem eius; & ducit illos in montem
 excelsum seorsim, ut oraret: Volens ni-
 mirum eos ostensione gloriæ & clari-
 tatis sui corporis efficacius excitare
 ad amorem crucis, ut si sperent similes
 aliquando secum gloriæ & felicitatis
 brauium, non detrectent similes se-
 cum ignominia & passionis confor-
 tium. Quam peculiari gratia præro-
 gatiua dignatus est Dominus hos tres
 discipulos, dum eos secum nunc in
 montem Thabor, inquam spectato-
 res suæ gloriosæ transfigurationis, as-
 sumit, quos deorsum erat quoque se-
 cum in montem Oliueti, tristitia &
 agonizantem testes futuros; dum ijs ca-
 lestis beatitudinis delicias præliban-
 das ibidem propinat, & clariorem suæ
 Trinitatis & mysteriorum passionis
 & re-

& resurrectionis cognitionem communicat! quam peculiari quoque gratia dignatur eos, quos præ tot alijs in montem perfectionis ducit, vbi abdicatis omnibus curis sæcularibus, & mundi carnisque lenocinijs per tria vota exclusis, in magna tranquillitate Deo, sibi que vacant, non raro cœlestium deliciarum micæ prægustant, & clarius fidei mysteria, diuina beneficia & attributa penetrant! O verè felices, si felicitatem suam humiligratoque animo agnoscant, & totose eius amor, à quo tam peculiariter dilecti sunt, medullitus impendant! Gratitude, amor, zelus quiduis amore Christi faciendi & patiendi.

II. *Et transfiguratus est ante eos. Et facta est dum oraret, species eius altera & resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Voluit pius Iesus his discipulis suis tantam, quantam mortales oculi ferre poterant, corporis sui claritatem, etiam in vestimenta redundantem, spectandam exhibere. 1. Vt eos in fide gloriosæ resurrectionis suæ confirmaret, ad sp̄e. similis gloriæ excitaret, ad amorē desideriumque; erucis inflāmaret. 2. Vt innueret, quanti homines faceret, quorum

pp. 6 amore

amore tanta gloria carnem suam toto mortalis vitæ tempore alias ei debita sponte priuasset, vt præ ijs pati & satisfacere posset. 3. Vt ostenderet quam paratus esset, similem illis gloriam, non solum promereri, olimque impertiri, sed etiam in hac vita eandem ijs prælibandam offerre. Quam inestimabilis illa fuit charitas! similem quoties etiam nunc feruidis seruis suis in diuinarum rerum contemplatione impertit, dum eorum intellectu miro diuinarum illustrationum fulgore irradiat, voluntatem celesti suauissimorum affectuum actu inflamat, tantaque nonnunquam affluentia cœlestium consolationum animam inebriat, vt in fragile etiam corpus earum vis redundet, atque in exterioribus actionibus piè perfecteque obeundis resplendat! Congratulatio de gloria Christi, gratitudo, amor, feruor deuotionis.

III. Et ecce duo viri loquebantur cum illis. Erant autem Moyses & Elias visi in Maiestate: & dicebant excessum eius, quem cœplensurus erat in Ierusalē. Quanto gaudio hi sancti Prophetæ viso Salvatore tot retro sæculis promisso exultarint! quam reuerenter eum adorarint!

quam

quàm affectuosè gratias egerint! quã-
ta compassione de instanti eius pas-
sione & morte inter se contulerint!
quanta admiratione tam mirabilè eius
excessum suspexerint! O si & tu, ani-
ma mea, excessum illum dolorum, ca-
lumniarum, cruciatuum, quos Chri-
stus amore tui toleravit; excessum
gratuiti & infiniti amoris, quo impul-
sus tanta dixit, fecit, pertulit; exces-
sum illum satisfactionum, quibus de-
bitum humani generis longè excessit;
denique excessum illum absolutissime
patientia, obedientia, humilitatis, a-
liarumque virtutum, quas tunc exer-
cuit; Si inquam excessus hos omnes
clare intuereris; quantopere ad reda-
mandum & imitandum eum accende-
reris! Admiratio, gratitudo, amor,
imitatio Christi in excessu harum vir-
tutum.

De eadem transfiguratione. ibid. III.

I. **P**etrus verò, & qui cū illo erant gra-
uati erant somno. Et euigilantes, vi-
derunt maiestatem eius. & duos viros, qui
stabant cum illo. Et factum est cum disce-
derent ab illo, ait Petrus ad Iesum: Præce-
ptor, bonum est nos hic esse: & faciamus tria
tabernacula, unum tibi, & unum Moysi,

Pp 7.

& u.

Et unum Elia, nesciens quid diceret Si vel modica prælibatio gloriæ clarificati corporis tanto gaudio horum discipulorum mentes impleuit, ut omnium terrenorum obliti, huic vni inhiarent: quibus tandem delicijs inebriabit mentes Beatorum plena, securæ & perfecta possessio ineffabilis Beatitudinis animæ & corporis: quid proinde pro illa consequenda non tentandum, non faciendum, non tolerandū? Spes gloriæ, zelus multa ardua faciendi & faciendi amore Dei

II. *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens: hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Filius Dei qui in hac ipsa gloriosa transfiguratione sua, omnia tormenta, & opprobria sibi subeunda, ob oculos ponere, atq; ad illa se promptissimè offerre non dedignabatur, à Spiritu sancto in nube lucida præfigurato, & à Patre intonante: Hic est Filius meus dilectus, luculento testimonio clarificatur, eiusque doctrina omnibus amplectenda commendatur: ut clarius nobis innotescat heroicum perfectæ resignationis ad omnia quantumuis ardua exercitium, esse securissimum ad eximiam glo-

gloriam compendium. Zelus Christi in hoc imitandi.

III. *Timore prostratos discipulos Iesus tetigit dicens: surgite nolite timere, nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* Quam pius Dominus & suavis ita suis Electis timore conurbatis erigendis, afflictisque consolandis? quam sollicitus in exhibendo nobis exemplo intimæ humilitatis, dum prohibet hanc clarificationem, usque dum resurgeret, propalari, qui non erubuit coram omnibus confundi, & tanquam Princeps latronum in medio latronum mori! Benignitas erga pusillanimes & afflictos, Fuga humani plausus.

De Lunatico à Christo curato.

IV.

Matt. 17. Marc. 9.

I. *Iesu descendente de monte, oblatu est puer obsessus à spiritu muto, quem discipuli non poterant curare, à parente sic deprecante: Si quid potes adiuua nos, miserus nostri. Iesus autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Et continuo exclamans Pater pueri cum lacrymis aiebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam: Viden' ex monte contemplationis exemplo Christi descen-*
da-

da-

tendū esse ad exhibenda proximis indigentibus officia charitatis! Et quicquid speras te impetraturum, cum magna fide & fiducia esse petendum. Misericordia erga proximos, fiducia.

II. Iesus comminatus est spiritui immundo dicens: Surde & mute spiritus, ego precipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introas in eum. Et exclamans, & multum discerpens eum, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus. Iesus autem tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit. Si diabolus tantam tyrannidē exercet in corpus, quod ad tempus iusto Dei iudicio occupare finitur: quantam exercebit in animā, quæ æternū illi iusto Dei iudicio crucianda traditur! Si ergo magna misericordia est ab eius temporali tyrannide liberari, quanto maior ab æterna præseruari! Horror peccati, quo incurritur tyrannis diaboli, Gratitude, & amor dulcis seruitutis Christi.

III. Discipulis secreto interrogantibus: Quare nos non potuimus eicere illum, respondit; propter incredulitatem uestram. Amen quippe dico uobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit uobis. Hoc autem genus non eicitur, nisi per orationem & ieiunium.

Cum

Cum tanta sit vis fidei, ut omnia possibile sint credenti, quam detestanda ergo nostra socordia, in necessarijs animæ & corporis subsidijs pro nobis alijsque magna cum fide & fiducia petendis? Quam execranda pusillanimitas in tentationibus vitijsque, quantumvis grauibus, superandis? modo idonea non negligamus adhibere remedia: cuiusmodi sunt oratio & mortificatio in tentationibus carnis, & similibus vitijs magis radicatis. Fiducialis oratio, & strenua mortificatio.

De contentione discipulorum de primatu. Matt. 18. Marc. 9.

V.

I. *Iesus veniens Capharnaum interrogat discipulos: quid in via tractabatis? at illi tacebant. Siquidem in via inter se disputauerant; quis eorum maior esset. Et residens vocauit duodecim, & ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & omnium minister. Quam suauiter supremus humilitatis amator & Magister suos discipulos in schola humilitatis satis diu exercitatos, nihilominus longè ab intimæ humilitatis via exorbitantes in viam reuocat, & horrorem ambitionis ijs inculcat! O si seires.*

Marc. 9.

seires.

scires quàm ipsi displiceas, si cor tuum eleues, & in mirabilibus super te ambules, quàm seridè te deprimeres, & deprimi optares! quàm exaltari horeres! Mansuetudo, fuga ambitionis.

Matt. 18.

II. *Et aduocans Iesus paruulum, statuit in medio eorum, & dixit: Amen dico uobis: nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli; non intrabitis in regnum caelorum. Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic est maior in regno caelorum.* Ut clarius ostendat eximiam humilitatem esse expeditissimam ad ueros, æternosq; honores uiam, proponit ijs æmulandam innocentiam, simplicitatem & modestiam pueruli, qui paruulum se agnoscit, & talem haberi cupit, nemini se præfert, neminem contemnit, nullas dignitates affectat, nullas præminentias alijs inuidet. Quisquis in his & similibus est paruulo similior, is coram Deo, & Angelis est maior. Studium eximiæ humilitatis, innocentiae & simplicitatis.

Marc. 9.

II. *Quem puerum cum complexus esset Iesus, ait illis: Quisquis unum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit. Ut magis hanc puerilem innocentiam, modestiamq; nobis inculcet, & quam grata tibi sit ostendat, ex qua*
tencro

tenero amoris affectu paruulum illum diuinis brachijs suis stringit! quam disertè asserit, quicquid obsequij & charitatis vni ex eiusmodi paruulis amore eius fuerit impensum, id non secus se accepturum ac remuneraturum, quam si sibi ipsi impensum fuisset. Feruor proficiendi in iisdem virtutibus.

De perfectè obedi- }
 riæ proprietatibus, } 31. VII.
 gradibus & funda- }
 mentis. }

De obedientiæ acti- } 6. p. med. }
 bus, internis, ex }
 ternisque & incita- } 32. VII.
 mentis, }

Dominica XX. post Trini-
 tatem.

20. hebda.
 post
 Trinit.

De veste nuptiali. Matth. 22.

I.

I. *Simile factum est regnum caelorum Regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire. Et abierunt alius in villam suam, alius ad negotiationem suam, reliqui verò tenuerunt seruos suos, & contumelys affectos occiderunt.*
 A. rex.

Æternus Pater fecit triplices nuptias Filio suo, 1. Desponsandō eum cum humanitate per incarnationem. 2. Cū Ecclesia militāte & quouis eius membro per fidem, & charitatē, & gratiam. Cum Ecclesia triumphante, & quouis Beato per æternæ Beatitudinis communicationem. Ad has inuitauit homines olim per Apostolos, eorumque successores, nunc autem inuitare non desinit per concionatores & animarū zelatores. Quanta Dei benignitas tam indignos ad tam diuinas nuptias inuitantis! Quanta hominum malitia & insania venire reuuentium, imō inuitatores contumelijs iniurijsq; affectos repellentium, aut trucidantium! Toties hoc ingrata anima attentare non dubitat, quoties amore opum, honorum, voluptatum quoduis graue peccatum admittere, seq; indignam hisce nuptijs reddere non reformidat. Gratitude, Amor Dei, horror ingratitude & cuiusuis peccati.

II. *Rex iratus missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ait seruis suis: Nuptia quidem parata sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni, ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inueneritis, vocati ad nuptias. Quam horrenda illa: pena ingra-*

ingratis iusto Dei iudicio irrogari se-
lita, vt concessis peculiatibus gratiæ
præsidijs priuati reprobentur, alij iisdē
ditati in eorum locum assumantur!
Experti id olim sunt ingrati ludæi tot
prærogatiuis à Deo ornati, quibus re-
pudiatis gentiles, prius idolomania
infatuati, sunt substituti: Experti i-
dem sunt tot ingrati Christiani, & re-
pudi religiosi, hodieque experiuntur,
qui tot extraordinarijs auxilijs gratiæ,
quibus vti noluerunt, aut oscitanter
voluerunt, iustè exspoliati, ex cælo in
cœnum, ex paradiso in infernum, ruere
permittuntur; Alijque gratiores & fer-
uentiores futuri similibus gratiæ auxi-
lijs gratis præuenti, in eorum locum à
Deo scrutatore cordium substituun-
tur. Ne similem ingratorum pœnam
vnquam incurras, cogita tibi iugiter
illud insusurrari: *Tene quod habes, vt
nemo accipiat coronam tuam.* Horror in-
gratitudinis, Feruor auxilijs gratiæ
rectè vtendi.

III. *Impletis nuptijs discumbentium in-
gressus Rex, vidensque hominem non vesti-
tum veste nuptiali, ait illi: Amice quomo-
do huc intrasti non habens vestem nuptia-
lem? iussitque eum protinus ligatis manibus
ac pedibus mitti in tenebras exteriores.*

Non

Non sola fides, non sola externa virtutum species ad hoc nuptiale conuiuium dignè adeundum sufficit, sed requiritur forma virtutum; per vestem nuptialem designata sincera charitas, qua ipse Sponsus vestitus ad nuptias venit, ideoque omnes eadem vestitos comparere cupit. O quanta turba eorum, qui ad nuptias hæc specioso Christiani nominis titulo, apparentis pietatis & nudæ fidei larua tecti, nec de veste nuptiali perfectæ charitatis erga Deum & proximum solliciti se temerè ingerere præsumunt, ideoque excludi, & in baratrum æternorum tormentorum detrudi merentur! Quanta paucitas eorum, qui in hac pretiosa veste criminæ charitatis comparanda, eaque indies magis elaboranda, ac perficienda, per assiduum omnimodæ iustitiæ & sanctitatis studium strenuè constanterque defudant, ideoque tam pauci ad cœnam illam nuptiarum Agni, æternùm duraturam admittuntur! *Veni multi vocati, pauci electi!* Quàm felix ille, qui dum ex nuptijs Ecclesiæ militantis euocatur ad nuptias Ecclesiæ triumphantis, dicere poterit: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimen-*

Isa. 61.

vis salutis, & indumento iustitia circum-
dedit me, quasi sponsum decoratum corona,
& quasi sponsam ornatam monilibus suis.
Fervor proficiendi in eximia charita-
te, & omnimoda perfectione.

De scandalo vitando. Matt. 18.

II.

I. **Q**ui scandalizaverit unum de pusillis
istis, qui in me credunt, expediat ei
ut suspendatur mola asinaria in collo eius,
& deus ergatur in profundum maris. Va
mundo à scandalis Va homini illi, per quem
scandalum venit. Cui non tinniant am-
bæ aures, dum æternam Veritatem sic
audit detonantem in eos, qui vel per-
verso consilio, vel pernicioso collo-
quio, vel pravo vitæ exemplo, vel
quovis alio modo innocentes corrup-
punt, ad sui imitationem trahunt, ad
hæc vel illa flagitia pertrahunt, à me-
liore bono auocant, in fervore spiritus
impediunt! O quàm horrendum est,
vel unum prædicto modo scandaliza-
re! quanto magis horrendum plures,
aut familiam & congregationem inte-
gram dissolutionis vitæ exemplo, aut
strictioris disciplinæ contemptu infi-
cere, secumque in barathrum æternæ
damnationis trahere! Horror cuius-
cunq; scandali, zelus vitæ exemplaris.

I. I. Si

II. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & projice abs te. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te. Sicut cuius cauendum, ne alios scandalizet, sic etiam aduigilandum, ne se vel à seipso, suisque prauis concupiscentijs, vel ab alijs scandalizari, perueri, in quoduis peccatū induci, à Deo separari, & à recto perfectionis tramite dimoueri vnquam sinat. Quare omnia potius, quantumuis sibi carissima dimittat, abdicet & proscribat oportet, quam vt ijs se in diuini Numinis offensam aut salutis discrimen pellici permittat: quod fiet oculos aliosq; sensus cautè custodiendo, affectus prauos refrenādo, intellectus curiositatem pertinaciamq; voluntatis reprimendo, amicos, socios, aliosque, quantumuis instar manus, pedis, oculi, nobis vtilis, si à Deo & perfectionis studio nos auocare presumant, à nostra familiaritate remouendo. An non multò satius est hac ratione spiritualiter sibi manus, pedes abscindere, oculosque eruere, quam cum iisdem æternæ damnationis maledictum incurriere! Mortificatio sensuum, passionum, animæ potentiarum, fuga prauæ & perniciosæ familiaritatis.

III. Vi-

III. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. dico enim vobis, quia Angeli eorum in caelis vident semper faciem Patris mei, qui in caelis est. Suauissimum & efficacissimum suggerit medium & motiuū cauendi scandala paruulorum, videlicet iugem memoriam Angelorum tutelarium praesentium. Quis enim quaedam illorum scandalizare aut contristare auderet, si praesentem eius Angelum, à quo coram iusto Iudice Deo ideo sit accusandus, viuæ fidei oculis cerneret? Imò quis se a quocunque seductore ad peccatum quoduis induci sineret, si praesentiae custodis sui Angeli meminisset! Horror scandali, & cuiusuis peccati ob praesentiam Angelorum.

De Christo à Samaritanis non recepto. Luc. 9.

III.

I. **D**UM complerentur dies assumptionis Iesu, & ipse faciem suam firmavit ut iret in Ierusalem, & misit nuncios ante conspectum suum: Et euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum ut pararent illi. Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalem. Quanto ardore ab æterno Filius Dei desiderauit venire in mundum, ad assumendam carnē

Qq

HO-

nostram, tanto ardore nunc anhelat
Ierosolymam, ad perficiendum opus
redemptionis nostræ, per Passionem
suam; licet prævideret, & tantam eo-
rum, quæ passurus erat atrocitatem, &
tantam Iudæorum vitæ suæ & famæ
insidiantium malignitatem, & tantam
eorum, quibus sua passio profutura
esset, raritatem. Quam inæstimabilis
illa charitas! At quam intolerabilis
hominum tantam eius dignationem
nec agnoscentium, nec æstimantium
stupiditas! Heu quam multi cum in-
gratis Iudæis Verbum Patris amoris
nostri incarnatum, & cum Samaritanis
pro salute nostra in ara crucis immo-
latum, & pretium redemptionis suæ
nobis nunc applicare paratum recipere
in hodiernum vsque diem renuunt,
gratiam ab eo oblatam respuendo, imo
eius vulnera renouando, sanguinem
conculcando! quod toties faciunt,
quoties graui peccato eum offendunt.
Amor, gratitudo, horror ingrati-
tudinis.

II. *Cum vidissent autem discipuli eius
Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine, vis-
dicimus, ut ignis descendat de caelo & con-
sumat illos? Tantam Filio Dei irroga-
tam iniuriam discipuli zelo Eliæ ac-*
centi

tenfi igne de cœlo misso vindicandam
 censent, & verò sic vindicassent, si ze-
 lo eorum benignus Dominus annuis-
 set. quid non auderent in perfrictæ
 frontis peccatores Angeli diuinæ iu-
 stitiæ gladium ferentes, nisi infinita
 Dei misericordia iustitiæ rigorem
 temperaret, eorumque ad vindictam
 faciendam iam accinctorum iustam
 iram inhiberet! Horror peccati, &
 diuinæ vindictæ.

III. *Et conuersus increpauit illos dicens:*
nescitis cuius spiritus estis, Filius hominis
non venit animas perdere, sed saluare. &
abierunt in aliud castellum. Quam in-
 comprehensibilis mansuetudo, beni-
 gnitas & charitas Saluatoris tam seue-
 rè indiscretum zelum suorum discipu-
 lorum increpantis, tam mansuetè tan-
 tam hominum inhumanitatè feren-
 tis, tam disertè se non venisse ad per-
 dendas, sed saluandas animas asseren-
 tis? Quem hæc non pelliceat ad te-
 nerum eiusdem amorem, filialem fidu-
 ciam, seriamque in mansuetudine,
 compassione, inimicorum dilectione
 imitationem! Amor, fiducia, imitatio
 in mansueto & discreto zelo.

IV. De missis ad prædicandum septuaginta
duobus discipulis. Luc. 10.

I. **D**esignauit & alios septuaginta duos.
Et misit illos binos ante faciem suam
in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse
uenturus, dans illis potestatem curandi in-
firmos, & iubens annunciare appropinquã
regnum Dei. Quò ardentius Saluator
salutem omnium sitiebat, eò plures in
eadem promouenda cooperatores co-
optabat, quos in charitate fraterna
perfectos, in vnione & mutua bene-
uolentia eximios, in vitæ innocentia
conspicuos esse volebat, ideo binos
tanquam sibi inuicem consiliarios,
collaboratores, & conuersationis suæ
testes futuros mittebat. Idem in ho-
diernum vsq; diem præstat, nunc hos,
nunc illos in collegas suos in tam san-
cto opere animarum salutem procu-
randi asciscendo, quos eò plures, ipsi-
demq; virtutibus excellentiores nunc
optat, quò maiore animarum messem,
& idoneorum operariorum raritatem
nouit. Zelus animarum, feruor pro-
ficiendi in charitate & exemplari con-
uersatione.

II. Minatur Ciuitati illos recipere
uolenti. *Dico vobis, quia Sodomis in illa*
die

die remissus erit, quàm illi civitati Deinde exprobrat Corozaim, Bethsaida, & Capharnaò incredulitatem & obstinationem: *Va tibi Corozaim, va tibi Bethsaida; quia si in Tyro & Sidone facta fuissent virtutes qua facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere sedentes pœniterent.*

Audiat & horreat hoc æternum vae peccator ingratus, & religiosus tepidus, qui tot peculiaribus inspirationibus illustratus, tot gratijs extraordinarijs præventus, nec ad seriam emendationem cor emolliri, nec ad feruens perfectionis studium accendi sinit, atque ita se gerit, vt merito de illo Deus per Isaiam conqueri possit: *Quis cæcus nisi seruus meus, & sardus nisi ad quem nuntius meos misi? O quam horrendum tales manet iudicium! Cui enim multum datum est, multum quæretur ab eo.* Horror ingratitudinis & tepiditatis.

Isa. 42^oLuc. 12^o

III. Reuersi sunt autem Septuaginta duorum cum gaudio, dicentes: Domine, etiam demonia subyciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbam Satanam sicut fulgor de cœlo cadentem. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit, veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subyciuntur:

Q9 3

gau-

gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in caelis. Quanto gaudio illos ad se reuersos, & reportantes cum exultatione manipulos suos Dominus exceperit, prauidentis in illis eximios fructus tot animarum ex Orci faucibus ereptarum, à tot zelosis seruis Dei in caeleste horreum olim congregandos! Quàm sollicitè nihilominus eos contra vanæ gloriolæ tirillationes premunit, Luciferi superbientis casum illis ob oculos ponendo, humilem gratiæ gratis datæ agnitionem inculcando: simulq; illos ad intimum gratitudinis affectum incitat, magnitudinem beneficij æternæ & gratuita prædestinationis ipsis collati superextollendo, longeq; ceteris gratijs datis præterendo! Quanta cum humilitate, gratitudine & gaudio perfectè Deo merito seruire deberet, quisquis se accenseri sperat ijs, quorum nomina scripta sunt in caelis! Feruor humili, grato hilarique animo se totum diuino seruitio impendendi.

De exultatione Christi in spiritu & dulci eius iugo. Luc. 10. Matt. 11. V.

I. **I**n ipsa hora exultavit spiritu & dixit: Luc. 10.
*Confiteor tibi Pater Domine cœli & terra, quod abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea paruulis. Etiam Pater, quoniam sic placuit ante te. Quàm ineffabili interno gaudio, quanto de- notationis affectu, Filius Dei æterno Patri gratias egerit, pro tam peculiari triplici gratia discipulis gratis concessa, videlicet pro gratia vocationis ad fidem, Electionis ad munus Aposto- lici præminentiam, & æternæ præde- stinationis ad gloriam! Idque tanto sublimius, quanto perfectius, tantæ gratiæ sublimitatem prævidebat, & amoris gratuiti, ex quo data est, aby- sum profundius penetrabat: Unde ad- debat: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, & nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui vo- luerit Filius revelare.* O si tu similis gra- tiæ tibi præ tot millenis alijs concessæ excellentiam, & gratuiti amoris, ex quo concessa est, magnitudinem cla- rius intuereris, quanto humilitatis, gratitudinis, amoris sensu te gratum*

Q q + exhi

exhibere, omni possibili modo conareri. Zelus humilitate, gratitudine, amore gratis acceptam gratiam compensandi.

II. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Si expendas quanta sit benignitas Salvatoris, omnes, modo parvuli in oculis suis & humiles esse velint, ad se invitantis, gratiamque suam omnibus, maxime ijs, qui vel magnam in superandis mundi, carnis, demonisque, tentationibus difficultatem experiuntur, vel graui enormium peccatorum magnitudinemque imperfectionum pondere grauantur, tam liberaliter offerentis! Ad non merito tuam, aliorumque hominum ingratorum, supinam inertiam, & rauidam stoliditatem obstupescens exclamabis cum D. Augustino: *Heu miseria super miseriam*!

Solil. 13.

Heu miseria super miseriam: Num misera anima mea à te refugit, cum quo semper abundat & gaudet: & si quiitur mundum, cum quo semper eget & delet. Mundus clamat deficio: Tu Domine clamas: refugio. & miseria mea praua magis sequitur deficientem quam reficientem. Gratitudo, amor, zelus sequendi Christum inuitantem.
III. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis.

corde, & inuenietis requiem animabus vestris: iugum enim meum suauis est, & onus meum leue. En quam suauiter omnes ad iugum suum, seu ad Euangelicæ perfectionis studium, quod in accurata diuinorum præceptorum, consiliorum & regularum cuique propriarum obseruatione consistit, auidè arripendum omnes intuat! Quam efficaciter ad solidum huius perfectionis fundamentum, quod est profunda in se, sincera erga Deum, mitis erga proximum animi demissio, profundius fodiendum excitat! 1. Exemplo suo, quo nobis in omnibus, quæ exigit, præiuit. 2. Pmissione ineffabilis pacis & tranquillitatis animi in hac vita, & æternæ quietis & beatitudinis in futura. 3. Mira suauitate peculiaris gratiæ, & abundantia cælestium consolationum, quibus iugum eius est inunctum. Hæc si profundè expendas, & non serio te resoluas ad ferum, efficacis, constansque desiderium & studium non solum deinceps ambulandi, sed & currendi, & volandi in via perfectionis, an non merito paueas horrendum illud: *Quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo?*

Qq s.

Fer-

Feruoꝝ proficiendi in omni perfectione, maximè in humilitate.

VI. De Proprietatibus, gradibus, & fundamentis gratitudinis.

VII. De Actibus gratitudinis internis, externisque piè exercendis.

} 6. p. med. }

21. hebd.
post
Trinit.

Dominica XXI. post Trinitatem.

I. De Reguli filio. Ioan. 4.

I. **R**egulus obviam Iesu procedens, rogabat eum, ut descenderet Capernaum, & sanaret filium suum incipientem mori. Obstupescenda hic diuina prouidentia in tam varijs mirisque modis homines ad salutem pertrahendi adiuuendi, quales sunt non solum tot diuinarum inspirationum, impulsuum, beneficiorum imperitio, sed etiam morborum, arumnarum, & omnisque generis afflictionum

im-

immissio, vel permissio. Quis enim hunc Regulum cum tota familia ex occasione lethalis morbi filij conuertendum credidisset, nisi euentus docuisset? quam verè in illo, multisque alijs per varias tribulationes ad saniorum mentem reuocantis completum illud prædictum ab Osea: *In tribulatione sua mane consurgent ad me, venite reuertamur ad Dominum, quia ipse cepit & sanabit nos: percutiet & curabit nos.* Amor crucis.

Ose. 6.

II. Dixit Iesus ad eum: nisi signa & prodigia videritis, non credetis. Duriuscule illi respondet, nec confestim petitioni eius annuit, tum vt imperfectam eius fidem, & inordinatam erga longiorum filij vitam affectionem coargueret, atque ad perfectiorem fidem & resignationem sensim disponderet, idque ex incenso salutis eius desiderio. Simile quid nobis in quavis afflictione constitutis ex eodem maioris nostri profectus spiritualis desiderio toties præstat, quoties non statim nos ad se confugientes exaudiens, patientiam & longanimitatem nostram probat. Resignatio longanimis in omni aduersitate.

III. *Vrgenti regulo, Domine descende priusquam*

Qq 6

usquam

usquam moriatur filius meus, dicit Iesus.
 Vade filius tuus vivit. Credidit homo ser-
 moni, quem dixit ei Iesus. Quanti meriti
 apud Deum magna fides! quam me-
 rito id expendens D. Bernardus excla-
 mat: *Magna fides magna meretur.* &
quatenus in bonis Domini pedem fiducia
porrexeris, eatenus possidebis. Alludens
 ad illud Deuteronomij: *quemcumque*
locum calcaverit pes vester, vester erit.
 Zelus proficiendi in fide, & filiali fi-
 ducia.

II.

De Adultera. Ioan. 8.

I. **P**harisei & Scriba mulierem in adu-
 terio deprehensam adduxerunt ad Ie-
 sum in templum, & interrogantes & tenta-
 tes eum: *Magister, in lege Moyses manda-
 vit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo, qui
 dicis? Iesus autem inclinans se deorsum,
 digito scribebat in terra.* Tanta erat mi-
 sericordia pijsissimi Salvatoris erga pec-
 catores, ut inde aduersarij captarent
 occasionem eum accusandi, arbitran-
 tes illum legem violaturum, ut adul-
 teram seruaret indemnem. At diuina
 eius sapientia modum inuenit, qua &
 miseram illam iam resipiscentem & me-
 ritibus lapidare volentium liberaret, &
 legem

legem inuiolatam seruaret, vti & ab æterno rationem inuenit redimendi hominum lapsum ex summa quidem misericordia, inuiolata nihilominus infinita Dei Iustitia, quem ad spem veniæ, ad amorem & zelum similis erga proximum misericordiæ non accēdat tanta Saluatoris clementia! Fiducia, amor, compassio erga peccatores.

II. *Cum autem perseverarent interrogantes eum, erexit se & dixit: qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Et iterum se inclinans scribebat in terra. Audientes autem vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus, & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans.* Mira prudentia, is, qui apprehendit sapientes in astutia sua, & consilia prauorum dissipat, malignam caliditatem calumniantium eludit, & simul periclitantis mulieris indemnitati consulit, dum digito peccata accusatorum, vt credibile est, in terra describit, sicque illos propriorū scelerū intuitu confusos ab accusatione desistere cogit. Quam stultè multi cum his Phariseis fœditate suorū flagitiorum inspecta, metuentes confundi, à Christo recedunt, dum Sacerdoti ea confiteri nolunt, sicque eternam con-

fusionem incurrunt! Quam sapientes alij diuinæ gratiæ radijs illustrati agnita peccata sua, quantumuis enormia, temporali confusione contempta, Christi vicario detegunt, sicque æternam confusionem euadunt. Profunda sui cognitio & humiliatio, sincera confessio, & sui manifestatio.

III. *Erigens autem se Iesus, dixit illi: Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnavit? que dixit: nemo Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnavo: vade & iam amplius noli peccare.* Quam inæstimabilis illa charitas Christi tam benignè hanc peccatricem non solum è lapidantium manibus, sed etiam è diaboli faucibus eruentis, & accusatores eius confundentis, & ad penitentiam inuitantis! Quanto maior charitate Danielis innocentem Susannam ab eodem lapidationis periculo liberantis, & iniquos senes eam falsò accusantes condēnantis! Toties eandem tibi exhibet, quoties lapsam in gratiam recipit. Quo illa humilitatis, gratitudinis, contritionis, amoris, gaudij affectu, tam benignam Salvatoris sententiam exceperit! An non ergo par esset eosdem te quoque affectus elicere medullitus toties conari quoties

quoties intrus audis : *Vade & iam amplius noli peccare?* Frequentatio actuum humilitatis, gratitudinis, contritionis, amoris.

De cæco nato à Christo illuminato.

III.

Ioan. 9.

I. **P**Rateriens Iesus vidit hominem cæcū à natiuitate, & interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, ut cæcus nasceretur? Respondit Iesus: neque hic peccauit, neque parentes eius: sed ut manifestentur opera Dei in illo. Tanta est Dei in electos suos benignitas, ut non solum varias ærumnas afflictionesque, uti in æternitate decreuit, sic in tempore illis immittat, aut euenire permittat, ad eorum peccata, commissa castiganda & expianda, & in futurum cauenda; sed etiam ad ampliora meritorū gratiæ & gloriæ lucra acquirenda, atque ad illustriora quædam diuinæ potentia, sapientiæ, & bonitatis opera, in ijs mūdo clariùs manifestāda. Pater id in hoc cæco, pater & in genere humano, per lapsum Adæ excæcato, quod oculis misericordiæ ab æterno respexit, & sic restau-

restau-

restaurare decreuit : in tempore post lapsum idem decretum se completurum promisit, & tandem factus homo re ipsa compleuit ; Patet insuper in quouis electo, quem in eundem finem, vti ab æterno statuit, ita in tempore varijs aduersitatibus exerceri permittit. Quam resignato ergo, tranquillo, hilarique animo omnis generis aduersa de manu diuinæ providentiæ forent acceptanda. Resignatio ad omnia aduersa.

II. *Cum promississet Iesus, me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est. venit nox quando nemo potest operari. Quam diu sum in mundo, lux sum mundi. Expuit in terram, & fecit lutum ex spatu, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit ei: vade, laua in natatoria Siloe, quod interpretatur missus. Quod pauciores vite mortalis dies filius Dei sibi iuxta decretum æterni Patris restare præiudebat, eò zelosius se diuinæ eius gloriæ propagandæ, & saluti hominum procurandæ impendere gestiebat, non solum hunc cæcum tam miro modo ad potentiam & sapientiam suam infinitam clarius mundo manifestandam curando; sed cæcos peccatores omnes per fontem baptismatis*

& lacrymas contritionis illuminare ardentissimè desiderando. Vis ergò adimplere ardentissimum Christi desiderium, cura vt hunc eius zelum amuleris. Zelus gloriæ Dei, perfectionis propriæ, & salutis aliorum.

III. *Cæcus cæcè obediens, abiit, lauit, vidit & Iesum, à quo sanatus erat, coram obuijs omnibus predicauit.* En luculentum in cæco exemplum cæcæ obedientiæ, qua non solum meruit, quoad externos corporis, sed etiam quoad internos oculos mentis sic illuminari, sic insuper inflammari, vt plus cæcus vnus, quam omnes Pharisei oculati in Christo cerneret, & intrepidè eum Prophetam confiteri coram omnibus non erubesceret, & contra calumniatores, quantumuis potentes, & in oculis suis sapientes, defendere non formidaret. Cæca obedientia, zelus gloriæ Christi.

IV.

De eodem. ibid.

I. **P**harisæi columniantes factum in cæco miraculum Sabbatho, & non credentes verè à Christo perpetratum, examinant parentes eius, qui eum sanavit, qui metu eiectionis à Synagoga fateri non audentes, remittunt eos ad filium ipsum, qui iterum interrogatus ab eis: da gloriam Deo. Nos scimus quia hic homo peccator est. Respondit; Si peccator est nescio, unum scio, quia cæcus cum essem. modo video. Illi urgentibus: quid fecit tibi, quomodo aperuit tibi oculos? Respondit: dixi vobis iam, & audiuistis, quid iterum vultis audire? nunquid & vos vultis discipuli eius fieri? Quantum malum invidia, quæ sic excæcavit Iudæos, vt tam manifestum miraculum carpere, & Christi innocentiam summam blasphemè arrodere non horrerent! Quam potens Christi gratia, qua mens cæci illuminata & inflammata fuit, vt seposito omni metu Christi innocentiam propugnare, potentiam deprædicare, omnesque ad eius doctrinam amplectendam inuitare, tanta spiritus libertate auderet? Horror inuidiæ, zelus gloriæ Christi.

II. Ma-

II. Maledixerunt ergo ei. & dixerunt:
 Tu discipulus illius sis: Nos autem Moysis
 discipuli sumus. Nos scimus quia Moysi lo-
 cutus est Deus: hunc autem nescimus unde
 sit. Illi replicanti. In hoc enim mirabile
 est, quia vos nescitis unde sit, & aperuit
 meos oculos. Scimus autem quia peccatores
 Deus non audit: Nisi esset hic à Deo, non
 poterat facere quicquam. Cum indignatio-
 ne responderunt: in peccatis natus es totus,
 & tu doces nos? & eiecerunt eum foras. O
 quam verè in cæcis illis Iudæis com-
 pletum illud ab Isaia prædictum. *Pal Isa. 59.*
pauimus cæci parietem, & quasi absque
oculis attrectauimus: impegimus meridiem
quasi cæci. O infelices, qui non solum
 instar noctuarum ad tantam diuinæ
 lucis à Christo mundo illatæ claritatē
 caligarunt, sed ipsum etiam fontem o-
 mnis luminis blasphemarunt, & præ-
 cones eiusdem lucis, uti & hunc cæ-
 cum à se repulerunt, atque ita iusto
 Dei iudicio ob ingratitude, obsti-
 nationem & malitiam æternæ noctis
 tenebras incurrerunt! Quam felix ille
 cæcus, qui non solum meruit à Chri-
 sto præ tot alijs, quoad oculos mētis
 & corporis illuminari, sed insuper per-
 feruentem cum accepta gratia coope-
 rationem, in consortem persecutionis
 & op-

& opprobriorum assumi ! Horror in
gratitudinis & obstinationis , Feruor
gratiæ cooperandi.

III. Cum Iesus eum inuenisset eiecit
foras, dixit ei Tu credis in filium Dei? Re-
spondit: quis est Dominus, ut credam in
eum? Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, &
qui loquitur tecum, ipse est, at ille ait: Cre-
do Domine, & prociens adorauit eum.
O quanta abundantia pietatis & libe-
ralitatis Domini Iesu erga hunc cecum.
Gratis illum ab æterno elegit, in tem-
pore misericorditer respexit, mirabili-
ter lanauit eius oculos corporis, & il-
luminauit oculos mentis, assumptum
eum in testem suæ diuinitatis, in præ-
conem suæ innocentia, in consortem
passionis, in vas misericordiæ peculia-
re, in quo diuitias gratiæ & gloria
manifestaret. Quam humili, grato,
ardentique animo ipse hæc omnia be-
neficia gratis sibi præstita agnouerit,
magni æstimarit, & compensare stu-
duerit, cum insuper audiret à Christo:
*In iudicium ego in hunc mundum veni, ut
qui non vident videant, & qui vident
cæci fiant.* Hoc & tu profundius ex-
pende, & gratuitam Dei misericordiã
similibus gratijs te præ tot alijs præ-
uenientis humiliter agnosce, reueren-

ter suspice, grato feruentique animo
compensare stude, ne cum cæcis Pha-
risæis, qui præ superbia cæcitatem
suam non agnouerunt, omni luce gra-
tiæ spoliari merearis. Gratitude,
amor, zelus gloriæ Christi.

De Christo in domum Martha rece-
pto. Luc. 10.

V.

I. **I**ntrauit Iesus quoddam castellum, &
mulier quadam Martha nomine, ex-
cepit eum in domum suam, & huic erat
soror nomine Maria, qua etiam sedens se-
cus pedes Domini audiebat verbum illius.
Martha autem satagebat circa frequens
ministerium. Filius Dei per incarnatio-
nem ingressus in castellum huius mū-
di, licet sit Dominus omnium, omnes-
que creaturas paterna sua prouidentia
pascat, non dedignatus est à creaturis
tanquam peregrinus hospitio excipi,
& tanquam pauper & famelicus pasci,
ex obedientia Patris, & amore nostræ
salutis. quod in spiritu præuidens Ie-
remias non immeritò miratur: *Quare*
colonus futurus es in terra, & quasi viator *Jer. 14.*
declinans ad manendum? Vt videlicet
nos æternum exilium, æterham famē,
sitim-

firimque promeritos, in cœlestem pa-
 triam reuocaret, & cœlestibus delicijs
 æternum saginaret. Porro libentius
 frequentius ad domum harum duarum
 sororum diuertit, tum quod fideles
 & piæ discipulæ essent, tum quod
 duas vitas, actiuam & contemplati-
 uam præfigurarent; vt hoc pacto ihs de-
 suisque discipulis bene merendi, me-
 ritumque augendi occasionem præbe-
 ret, & nobis omnibus, quã gratia
 sint piæ vtriusque vitæ exercitationes
 manifestè declararet. Felix anima que
 in his vtriusque vitæ exercitijs quoti-
 die proficere conatur, cum sic & Chri-
 stum hospicio suscipere in exilio, &
 ab ipso suscipi in cœlo promereatur.
 Amor Iesu, feruor proficiendi in ex-
 ercitijs vitæ actiuæ & contemplati-
 uæ.

II. *Martha de otio Maria conquerens.*
dixit Dominus: Martha, Martha solli-
cita es, & turbaris erga plurima. Repre-
 hendit leniter Dominus nimiam Mar-
 thæ in officijs misericordiæ & chari-
 tatis erga tantos hospites exercenda
 sollicitudinem, & imprudentem in
 sancto otio sororis diuino colloquio
 inhiantis arguendo libertatem. Quã
 tò acerbius ergò diuino iudicio re-
 prehendi merentur, qui totos se in ex-
 ercitijs

teriora effundunt, interiora negligunt: idque non tam ex zelo proximos iu- uandi, quam tædij vitandi gratia, & solatiola a creaturis emendicandi; In- super etiam alios internæ recolle- ctioni, diuinæ contemplationi & pro- lixiori orationi addictos, tanquam otiosos & inutiles operarios contem- nere, & sugillare non metuunt? Fuga effusionis ad exteriora, Amor crebræ recollectionis, & studium discretè vtriusque vitæ exercitationes pro suo instituto continuandi.

III. Porro vnum est necessarium. *Maria optimam partem elegit, qua non auferetur ab ea.* Ostendit quonam omnibus tam actiuæ, quam contemplatiuæ vitæ deditis in omnibus suis exercitijs sit collimandum, videlicet ad vnum Deum perfectè cognoscendum, a- mandum, & glorificandum in via, olim beatè videndum, amandum, æ- ternumque magnificandum in patria. Et vitæ contemplatiuæ exercitia, vt- potè æternùm duratura esse vitæ a- ctiuæ ministerijs erga proximos in hoc solum exilio durantibus nobilio- ra; ac proinde quantum obedientia, necessitas & charitas proximi patitur, præ-

præ-

præferenda. Quanto ergo studio
hoc vnum, præ omnibus necessari-
um, meritò erit contendendum,
per ardens constansque studium ma-
ioris Dei gloriæ, & perfectionis pro-
priæ, alienæque discretè absque detri-
mento proprii profectus, semper, in
omnibus, & præ omnibus promo-
vendæ; quanta aviditate ad exercitia
deuotionis, contemplationis, intimæ
cum Deo coniunctionis, quantum
pro vitæ instituto licet, ex puro amo-
re cœlestis sponsi foret anhelandum.
Studium puræ intentionis, Feruor
deuotionis, arctissimæque cum Deo
coniunctionis.

- | | | |
|------|-------------------|----------------|
| VI. | De simplicitate & | } 6. p. med. } |
| | veracitate, | |
| VII. | De Liberalitate, | |

Domi-

Dominica XXII. Post Trinitatem. 22. hebd. post Trinit.

De Rege rationem ponente cum seruo. I.
Matth. 18.

I. **R**ex cuidam seruo suo debenti decem millia talenta sibi supplici facto omnia remisit. Rex hac parabola designatus, est Deus infinite misericors & iustus, seruus est quiuis peccator ab eo creatus, redemptus, iustificatus. Quam admiranda & detestanda talis seruuli audacia & dementia, tam ingens & indissolubile debitum tam temere contrahentis, tot lethalia peccata contra præcepta decalogi committendo, toties eadem iterando & multiplicando, quorum ne vnum quidem, vel asperrimam totius vitæ pœnitentiâ absque speciali gratia possit expiare; Insuper tot venialia, toties, sine fine, & numero quotidie superaddendo; pro tot quotidianis Dei beneficijs se ingratum exhibendo, nec de ratione reddenda ynquam seriò cogitando!

R r

Quam

Quam suspicienda porro & amplius
 cenda infinita Dei misericordia, et
 tantaque debita gratis quoad culpam
 & nonnunquam quoad poenam in-
 grè remittentis, tam ingrato & pro-
 teruo peccatori, quam primum corde
 contrito ea detestari cœperit, & serua
 poenitentia eluere decreuerit. Hæc
 inter se collata pensulatius pondera,
 affectusque compunctionis, & amoris
 excita.

II. *Cum seruus ille conseruum suum
 debentem sibi centum denarios, licet sup-
 plex dilationem rogasset, misisset in carce-
 rem, certior hac de re à conseruis factus
 Rex, iratus tradidit seruum hunc nequam
 tortoribus, donec redderet uniuersum de-
 bitum.* Viden' hinc inauditam cru-
 delitatem serui huius, seu hominis
 peccatoris in conseruum suum sic re-
 uientis, ob debitum 100. denariorum,
 id est, 10. coronatorum, seu leuem ali-
 quam offensam, iniuriamque sibi illa-
 tam à proximo suo suppliciter petiti
 dimittere reuientis, sed tam inhumane
 piter vindicantis, nec recordantis tam
 immane debitum decem millium ta-
 lentorum, id est 120. vasorum aut
 sibi gratis remissorum, seu tot graui-
 smarum culparum & iniuriarum di-

uinæ maiestati illatarum, ex gratuita misericordia toties sibi condonatarum: Inde verò iustissimam iram supremi Regis tantam ingrati peccatoris in proximum immanitatem, quam Angeli sancti conspicientes, & execrantes, vindictam à diuina iustitia expetere coguntur, tam horrendo supplicio iure castigantis! Quanta ergo temeritas hominis homini iram obstinatè reseruantis, petenti veniam ignoscere pertinaciter detrectantis! Fuga odij, cupiditatis vindictæ. Zelus proficiendi in mansuetudine & fraterna dilectione.

III. *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Quam seriò Christus hanc liberalem, sinceram, integramque mutuarum offensarum condonationem sub interminatione eternorum tormentorum nobis inculcat, & quidem toties iterandam, quoties iterari mutuas contigerit offensas! Vnde Petro roganti. *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei, vsque septies? dixit, non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* Quis hanc æternæ veritatis comminationem seriò expendens

vindictæ cupiditatem non horreat,
ne æternam ultionem incurrat? Affe-
ctus ijdem.

II.

De parabola ficulneæ infructuosa.


Luc. 13.

I. **A**udiens Iesus nuntiantes quosdam de
Galilæis, quorum sanguinem Pe-
latus miscuit cum sacrificijs eorum, ait
Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Ga-
lilæis peccatores fuerint, qui talia passi
sunt? Non, dico vobis: sed nisi peniten-
tiam habueritis, omnes similiter peribitis.
En quam efficaciter Christus clarè
videns causas, ob quas plerumque
varijs calamitatibus homines exercet
diuina prouidentia permittat, esse
peccata, omnes ad feriam penitentiam
exstimulet, nisi similibus flagellis hu-
castigari, æternisque istis supplicijs
velint exercuari. Quam consultum
ergo est, ingruente quacunque mor-
borum, bellorum, aliarumque affli-
ctionum procella, confestim humili
contritoque animo ad penitentiam
asylum confugere, causamque illorum
malorum, non fortunæ, nec diabolica-
stutiæ, nec maleuolorum hominum
malitiæ, sed proprijs culpis attribue-

re! Humilis suorum peccatorum agnitione, detestatio & expiatio.

II. Idem euidentius inculcat parabola ficulneæ infructuosæ, quam habebat quidam plantatam in vinea sua, de qua ad cultorem vineæ: *Ecce anni tres sunt, ex quo venio querens fructum in ficulnea hac, & non inuenio: Succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat?* Ingratus & tepidus Christianus aut religiosus, tanquam fructifera arbor plantatus in viridario Ecclesiæ aut status religiosi, longo tempore nullos solidæ perfectionis proferens fructus, hanc exprobrationem & peremptoriam comminationem toties audit, quoties vel per internas inspirationes, vel concionatorum, superiorum & confessoriorum voces suam ingratitude[m] & tepiditate[m] agnoscit, vel per varias internas externasque tribulationes eruditus, diuinæ iustitiæ gladium sibi imminentem prospicit. Et quoties nihilominus eheu in torpore suo perseverans, imminens sibi exitium nec pauet, nec cauet! Horror ingratitude[m] & tepiditatis, Feruor seriæ conuersionis.

III. *Ar cultor vinea respondens ait*
Domine dimitte illam & hoc anno, usque
dum fodiam circa illam, & mittam ster-
cora, & si quidem fecerit fructum: sin-
terem, in futurum succides eam. Quod
cultor indulgendum infructuosa fi-
culneæ censet, idem longanimitas Dei
peccatori tam diu præstat, quamdiu
eius conversionem expectat; quot
interim modis ad pœnitentiam pro-
uocat, quot conscientiaæ stimulis ve-
get, quot gratiaæ auxilijs ad perfectio-
nis studium excitat, quot promissis
minis, beneficijs, flagellis ad finem
misericordiaæ suæ inuitat? Quilquis
tanta longanimitate Dei ad dignos
pœnitentiaæ fructus ferendos, non fe-
nit se moueri, an non iusto eius iudi-
cio è plantario electarum arborum,
tanquam stirps inutilis meretur ex-
scindi? Admiratio & amor di-
uinae longanimitatis,
Feruoꝝ matura
conuersio-
nis.



De muliere 18. annos incurua , à III.
 Christo erecta Sabbatho.
 Luc. 13.

I. **C**um doceret Iesus Sabbatho in synagoga, videns mulierem decem & octo annos habentem spiritum infirmitatis inclinatum, nec omnino valentem sursum respicere, misericordia motus ad se eam vocavit, & imposita manu confestim sanavit. Mulier illa incurua præfiguratur quamvis animam peccati & diabolicæ seruitutis iugo oppressam, longoque tempore sub eo gementem, quæ pondere concupiscentiarum suarum ad terram inclinata, terrena tantum capit & sapit, quæ sursum sunt, nec respicere quidem potest, nisi divina gratia erigatur. Quam miserabilis talis animæ conditio, in limo illecebrarum mundi & carnis sic immerisæ, ut ad veras cœlestesque delicias, ad quas creata est, nec aspicere quidem possit! Quanta misericordia à tanta miseria liberari, à qua toties te misericors Salvator misericorditer eruit, quoties lapsum in quoduis peccatum erigit! Gratitude, amor zelus gloriæ Salvatoris.

II Archisynagogo indignanti quod Sabbatho eam curasset, respondens dixit: Hypocrita, vnu qui q̄, vel ū Sabbatho nō soluit bouem suum aut asinum à praesepio, & ducit adquare hanc autem si iam Abrabam, quam alligauit Iatanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo illo die Sabbathi? Quam efficaciter superstiosam huius Archisynagogi culicem celantis, & camelum deglutientis hypocrisin refellit, & simul intimum compassionis affectum erga animas sub graui peccati & diaboli tyrannide ingemiscentes patenter ostendit! Quis displicet illi hypocritica iustitia & sanctitas multorum, qui exteriora quædam minimi momenti ad vanam ostentationem superstiosè obseruant, interiora maximi momenti, in quibus vera perfectio consistit, negligunt & in alijs contemnunt. Quam placeat è contra sincera diuinæ gloriæ in omnibus intentio, pura proximi dilectio, intima erga peccatores & afflictos compassio! Fuga hypocrisis, temerarij iudicij, & contemptus aliorum: Sincerus zelus gloriæ Dei, perfectionis propriæ, & salutis animarum.

III. Et cū hæc diceret, erubescerant omnes aduersarij eius, & omnis populus gaudebat

bat in uniuersis qua gloriose fiebant ab eo. Quanto magis in extremo die iudicij omnes calumniatores & persecutores Christi & Sanctorum erubescant, quando suam impietate & hypocrisin, & illorum innocentiam & sinceritatem toti mundo clare manifestatam cernent! & quanto magis omnes electi latabuntur, quando tantam Christi Domini gloriam, simulque suam toti mundo propalatam conspicabuntur? Affectus ijdem.

De filio prodigo resipiscente. Luc. 15.

IV.

I. Xpende in typo filij prodigi miram ingratitude, temeritatem & stoliditatem cuiusuis peccatoris, qui pro libertate arbitrij sibi indulta, donis naturæ & gratiæ abutens; per peccatum mortale à Deo se auertit, & ad creaturas se conuertit; se iungit se à cœtu filiorum Dei, & coniungit consortio mancipiorum Diaboli; recedit è paterna domo, inuito cœlesti Patre, & ingemiscuntibus Angelis, & abit in longinquam regionem umbræ mortis, & reatus gehennæ ignis, exultante mundo & applaudentibus dæmonibus; atque ita vnico

Rr s

quasi

quasi momento omnium thesaurorum cœlestium sibi communicatorum & meritorum tota vita collectorum inestimabilem facit iacturam. Similis ingratitude, temeritatis & stoliditatis notam incurrit, quisquis à Deo magnis gratijs præventus, repide eide seruit, cum periculo grauius labendi, & sic tandem statu gratiæ excidendi. Quis hæc expendens, seque alterum filium prodigum agnoscens non ingemiscat, suam ingratitude non defleat, suam temeritatem non exhorrescat, suam stoliditatem non obtusepescat? Detestatio ingratitude, horror repiditatis, feruor seriæ conuersionis.

M Intuere abyssum miseriarum, quas peccator à Deo recedens, uti & tepidus seruus Dei, in spiritu languescens incurrit, quarum 1. est inopia abundantis gratiæ auxiliatorum, cœlestium fauorum, & solatorum, quibus se culpa sua priuat. 2. Miserabilis seruitus Diaboli, suorum peccatorum & imperfectionum, quarum iugo se sponte subiicit. 3. Infatiabilis cupiditas siliquarum porcorum, seu concupiscentiarum & sensualitatum suarum, quibus animæ appetitus diuinarum deliciarum capax expletur.

expleri nequit. Quanta benignitas Dei est ex hac abyſſo elementer erui, aut ne in eam incidas, paternè præferuari! Affectus iſdem.

III. Inruere deinde abyſſum infinitæ miſericordiæ Dei, qui 1. Varias internas externasque afflictiones temporales peccatoribus & tepidis immitit, ſicque per gratiam præuenientē ad reſipiſcēdum, & ſtatum ſuum priſtinū innocentix & feruoris feliciffimum recogitandū miſericorditer exſtimulat, iuxta illud Oſeæ: *Ecce ego ſepiam* Oſeæ.
viam tuam ſpinis, & ſemitas ſuas non inueniet. Et ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos: & quæret eos, & non inueniet. Et dicit: vadam & reuertar ad virum meum priorem: quia bene mihi erat tunc magis, quam nunc. 2. Per gratiam adiuuantem ad agnoſcendam humiliter vilitatem & indignitatem ſuam efficaciter excitat, vt ſe indignū feliciffima filiorum Dei ſorte reputet, ſed ad viliffimam inſimorum eius ſeruulorum conditionem ſuſpiret: *Quanti mercenarij in domo Patris mei!* Deum ad firmū efficaciq; propoſitū cum intima humilitate, filiali fiducia, cordiſq; amaritudine redeundi ad paternam ſinum diuinæ miſericordiæ ſuauiſſime in-

uitat, vt totis præcordiorum affectibus exclamet: *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam: Pater peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis.* Quanta tam immensæ Patris misericordiarum gratiæ tam ingrato gratis præstitæ debetur gratitudo, quantus amor, quantus in diuino eius seruitio feruor! His expensis eodem affectus excita, teque ad serium peccata expiandi, cauendi, & compensandi studium inflamma.

v.

De filio prodigo in gratiam recepto.

ibid.

I. **E**Xpeade in typo Patris filium prodigum redeuntem tanto amore recipientis inæstimabilem gratuitamque Dei misericordiam erga peccatorem respicientem, quem cum adhuc longè est, & in luto peccatorum suorum profundè infixus hæret, præueniente gratia ad pœnitentiam exstimulat, per agnitionem & derestationem suæ ingratitude, efficacique propositum emédationis surgentem & reuerentem cum pio miserationis affectu expectat, tandemque per veram contritionem, sinceramque confessionem appropinquantem, & ex intimis cordis

cordis contriti & humiliati medullis
 exclamantem : *Pater peccavi in cœlum*
 & coram te, non sum dignus vocari filius
 tuus, osculo pacis excipit; brachijsque
 amoris stringit; confestimq; illi reddit
 stolam primam iustitiæ perditæ, ius
 filij ad regnum, annulū & calceamen-
 ta, seu efficacis gratiæ præsidium ad bo-
 norum operum exercitium, ad morti-
 ficationem pravorum habituum, ad
 augendū meritum & gloriæ brāuium.
 Quo humilitatis, gratitudinis, amoris
 sensu peccatorem tot misericordijs
 præuentum, in misericordissimi & a-
 mantissimi Patris amplexum ruere
 oporteret, tamq; arctè eundem vicis-
 sim brachijs amoris complecti, vt in
 æternum ab eo nunquam posset diuel-
 li? Humilitas, gratitudo, amor.

¶ Nec hoc contentus pijsimus Pa-
 ter, insuper mandat vitulum saginatū
 occidi, conuiuium instrui; omnes do-
 mesticos lætari: *quia hic filius meus mor-
 tuus erat & reuixit, perierat & inuentus
 est.* En quantum gaudium in cœlo co-
 ram Angelis Dei de vno peccatore
 pœnitentiam agente! Quanta erga
 illum liberalitas æterni Patris, Filium
 suum vnigenitum in conuiuium mysti-
 co SS. Eucharistiæ illi proponentis!

R. 7

Quany

Quanta benignitas & indulgentia maiora illi amoris signa, quam innocenti exhibentis! Affectus ijdem.

III. Expende tantum peccatoribus serio resipiscentibus à Deo exhiberi gratuitæ miserationis & dilectionis excessum, vt iusti innocentiores quodammodo ad indignationem vel inuidiam prouocari posse videantur: tametsi illi diuina iudicia reuerenter suspicientes, inscrutabili prouidentia Dei beneplacito penitus acquiescunt, illis de recepta gratia, nouisque superadditis charismatis ex charitate congratulando, suamque innocentiam conseruatam non suis meritis, sed peculiari gratiæ Dei humiliter asseribendo, seque illo amantissimi Patris promisso, *fili tu semper mecum, & omnia mea tua sunt*, abundè consolando. Est enim magnus est misericordiae diuinæ excessus toties lapsum in tot peccata à Deo erigi, & in gratiam, quâ toties indignum reddidit, misericorditer recipi: quantò tamen maior in se esse gratia iustum à lapsu, in eadem peccata, in quæ labi potuisset, gratis præseruari? ad quantam ergò tam peccator erectus, quam iustus non lapsus obligatur gratitudinem Deo referendam? ad

ad quàm tenerum eius amorem, ad quàm exactum eius obsequium? Gracitudo, amor, feruor diuini seruitij.

De Fortitudine.

De Magnanimitate.

} 37.
} 6. p. med. }
} 38.

VI.

VII.

Dominica XXIII. post Trinitatem.

23. hebd.
post
Trinit.

De Numismate census. Matth. 22.

L.

I. PHarisæi mittunt ad Christum discipulos suos cum Herodianis interrogatum, an liceat censum dare Cæsari, an non? volentes eum capere in sermone, vt si negaret dandum, Cæsaris & Præsidis indignationem incurreret; si assereret dandum, apud plebem, quæ agrè ferebat sibi libertatem adimi, & tributum ab infideli Principe imponi, gratiam perderet, sicque Messias haberi desineret. Quàm detestanda istorum hypocrisis, qui ore Domino blandiuntur, vt fraudem inducant: *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis perso-*

nam

nam hominum. Corde verò execrantur illum, implentes illud: Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant: Et molli sunt sermones eorum super oleum, & ipsi sunt iacula. Hos æmulantur omnes bilingues, quotquot aliud corde volunt, aliud ore promunt, idque maxime ad calumniandos innocentes, ad decipiendos simplices, ad se exaltandos, aliosque deprimendos, atque ad alios fines sinistros consequendos. Detestatio hypocrisis & æquiuocationis, amor simplicitatis, veritatis, sinceritatis.

II. Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait: quid me tentatis hypocrita? Ostendit mihi numisma census. Cuius est imago hæc & superscriptio? dicunt ei Cesaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cesaris Cesari, & quæ sunt Dei, Deo. quasi diceret, vos confitemini Cesarem esse vestrum Principem, quod pecuniam eius imagine & nomine insignitam vsurpetis: Reddite ergo tributum legitimo Magistratui debitum: Tributum enim infideli dare à Deo non est prohibitum: Deo verò reddite debitum cultum & obsequium. En quàm dexterè æterna Veritas & Sapientia Patris apprehendit Sapientes in astutia eorum, & consilium

Job. 50.

prauorum dissipat? quam verè completū
 in ijs illud Isaia: *Inite consilium, & dis-* Isa. 8.
sipabitur: loquimini verbum, & non fiet?

Si porrò infideli Principi sit in licitis
 obtemperandum, & tributum præ-
 standum, iuxta Christi oraculum &
 B. Pauli monitum: *Reddite omnibus de-* Rom. 13.
bita, cui honorem, honorem; cui tributum,
tributum; cui vectigal, vectigal; Quantò
 magis Magistratibus Christianis & su-
 perioribus Religiosis in omnibus, quæ
 non sunt manifestè contra Deum, erit
 parendum, cum omnis potestas à Deo
 sit? Prudentiâ erga callidos filios hu-
 ius sæculi, perfecta obedientia erga
 Vicarios Dei.

III. Considera quo pacto homo præ
 cæteris creaturis peculiariter referat
 imaginem SS. Trinitatis, eò quod
 habeat vnâ animam, intellectualem,
 liberam, immortalè, & tres potentias
 nobilissimas; memoriam, intellectum,
 voluntatem, quibus Deum imitari
 possit, eum intelligendo & amando
 per fidem & charitatem imperfectè in
 via, clarè videndo & beatè amando in
 patria. Quàm æquum proinde sit hanc
 expressam Dei similitudinem inuiola-
 tam in se conseruare, & se totum eius,
 cuius est insignitus imagine, cultui,
 amo-

amo-

amori, obsequio impendere? Quàm indignum porrò hanc imaginem Dei per lethale peccatum eradere, & mundi, carnis, diaboli assumere? Horror peccati, amor & imitatio Dei, Resignatio & oblatio sui.

II. De perfecta abnegatione sui. Luc. 14.

I. **S**I quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Qui vestigijs Christi cupit insistere, & in perfecto amore Dei proficere, in primis incumbat oportet in sanctum suorum & suiipsius odium, per heroicam abnegationem omnis inordinati affectus erga sanguine iunctos, ne ab eis sinat se à via perfectionis dimoueri; & per assiduam mortificationem suorum prauorum habituum & indomitaram passionum, ne ab eis in eadem perfectionis via decurrendam permittat se retardari. Quàm eximiè hoc sanctum suorum & suiipsius odium in eximijs Dei amicis semper eluxit, hodieque elucet? cur ergo pigeat æmulari? Sanctum suorum sibi in via perfectionis obstitentium, & suiipsius odium.

II. Ea

II. Et qui non baiulat crucem suam, & venit post me: non potest meus esse discipulus. Vis ergo velut verus Christi discipulus Magistri perfectionem æmulari, quotidie quamcunque crucem & afflictionem, siue corporis, siue animæ, siue famæ, vñdecunque tibi immissam aut permissam, patienti hilarique animo excipe, brachijs amoris complectere, & sic Christum crucem baiulantem per assiduum exercitium perfectæ resignationis sequere. Amor crucis, perfectæ resignatio.

III. Hoc assiduum omnimodæ abnegationis & perfectæ resignationis studium constanter vrgendum inculeat duplici parabola, hominis turrim ædificantis, & Regis bellum alteri Regi inferre parantis: Nisi enim quis hoc studium vsque in finem continuet, tandem desperans succumbet, in via perfectionis deficiet, omniumque risui se exponet. Constans feruor
in studio mortificationis
& resignationis.

III. De Adolescente diuite. Matth. 19.
Marc. 10. Luc. 8.

I. **I**esus cuidam Adolescenti diuiti quærenti quid boni faciam ut habeam vitam æternam? Respondit: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, cui Adolescens, omnia hæc custodiui à iuuentute mea Iesus autem intuitus eum, dilexit eum. Via plana & regia ad cælum, perfecta obseruatio mandatorum. Quàm felix quisquis ab hac via nunquam grauius aberrat, & verè dicere potest: hæc omnia custodiui à iuuentute mea, aut certè ab ea hora qua me seruo ad Deum conuertì! multò felicior ille, cui hæc de re in hora mortis conscientia fidele exhibebit testimonium: Is enim firmiter sperare poterit se à Deo benignè respici, paternè diligi, æternumque dilectum iri. Exacta obseruatio mandatorum.

II. **V**rgenti Adolescenti quid adhuc tibi deest? dixit Iesus: unum adhuc tibi deest, si vis perfectus esse, vade & vende omnia qua habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me: Cum audisset autem Adolescens verbum, abiit tristis, erat enim habens multas possessiones. En quanta & quàm gratuita est

est gratia efficaciae vocationis ad statum perfectionis? quoties illa innocentioribus & aptioribus negatur, indignioribus & ineptioribus offertur? Gratitude pro gratia vocationis.

III. *Videns autem Iesus illum tristem factum, ait: quàm difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt! facilius est enim camelum per foramen acus transire, quàm diuites intrare in regnum Dei.* Quis ergo non horreat diuitiarum cupiditatem, quæ est radix omnium malorum, & tam difficilem incertumque reddit aditum ad regnum cælorum, & non anhelat ad voluntariam abnegationem omnium temporalium, quæ Mater est tot virtutum, & tam certam habet promissionem regni cælorum? Detestatio affectus erga diuitias, voluntaria paupertas.

De premijs sequentium Christum.

IV.

Matth. 19.

I. **C**VM audisset Petrus à Christo diuitiarum cupiditatem sic deprimi, voluntariamque paupertatem extolli, ait: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Ex tam affectuosis Domini verbis collegit Petrus magnum esse voluntariæ pau-

pau-

paupertatis pretium, ideo audacter
 quærit: *Ecce nos reliquimus omnia, quid
 ergò erit nobis?* Verè magni apud Deum
 meriti est, totum quod quis habuit, &
 quod habere potuit & voluit, cum
 S. Petro amore Christi & perfectionis
 relinquere, quantumvis exiguum sit
 quod reliquit: præsertim cum totum
 mundum, si in sua potestate esset, re-
 linquere paratus esset, ideoque securè
 cum D. Petro promissum relinquenti-
 bus omnia præmium expectare pote-
 rit. Perfecta abdicatio omnium terre-
 norum quoad affectum & effectum.

II. *Iesus autem dixit illis: Amen dico
 vobis.* Triplex ijs promittit præmium.
 1. In hac vita centuplum diuinorum
 charismatum, cælestium solatorum,
 & necessariorum subsidiorum. 2. In
 die iudicij gloriosam super duodecim
 thronos sessionem, & iudiciariam po-
 testatem. 3. In cælo vitam æternam,
 seu securam, æternamq; eximiam gloriæ
 corporis & animæ, cuiusque meritis
 proportionatæ, possessionem. O quan-
 tum diuina liberalitas excedit huma-
 nam? quis se multum reliquisse, mul-
 tum fecisse, multum tolerasse amore
 Christi æstimet, si horum prædictorū
 præmiorū penè inæstimabile pretium
 pro

pro dignitate ponderet? Amor, zelus
perfectè Christum nudum sequendi.

III. *Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi*, pro disparitate feruoris omnia relinquentium & Christū sequentium, dispar quoq; erit eorum tam in hac, quā in altera vita prēmium. Nec enim diuina Iustitia & liberalitas in remunerando tam respicit quantū quisque reliquerit, aut quamdiu Christū in via perfectionis secutus fuerit, quā ex quanto affectu id reliquerit, & quā perfectè feruenterque eundem secutus fuerit. Feruor perfectè Christum in assiduo eximie perfectionis studio imitandi.

De petitione Matris filiorum Zebedai. Matth. 20.

V.

I. *C*um Christus ascendens Ierosolymam pradixisset discipulis instantem suam passionem, tunc accessit ad eum Mater filiorum Zebedai petens ab eo: Dic ut sedeant hi duo filij mei unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem Iesus dixit: nescitis quid petatis. Quā cæca ambitio horum discipulorum,

lorum, qui dum audiunt Christum
differentem de ignominia Crucis, cogitare non erubescunt de gloria regni
terrestris! Talis est cæcitas eorum
ambitiosorum, qui in hac vita præla-
turas, dignitates, honores aucupantur
contemptum sui, mortificationem, &
imitationem crucis Christi, quibus
æternam in altera vita gloriam possent
promereri, fugiunt & detestantur.
Quam amarè suam stultitiam desce-
bunt, quando omnes suos honores in
fumum abiisse videbunt! Horror am-
bitionis, studium humilitatis, con-
temptus sui, & mortificationis.

II. *Addit Christus: potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? dicunt illi, possumus. ait illis: calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Regiam compendiosamque veros æternosque honores obtinendi viam illis proponit amorem crucis & mortificationis tam spontè assumptæ, quàm ab alijs illatæ. Deinde abyssum diuinorum iudiciorum, ac decretorum immutabilium, quoad diuisionem donorum & prærogatiuarum naturæ, gratiæ, & gloriæ
reue-

reuerenter suspiciendam, non temerè
scrutandam inculcat. Quisquis ergò
magnus esse cupit, magnus in contem-
ptu sui & imitatione crucis Christi es-
se studeat, & diuinæ dispositioni in
distributione talentorum, officiorum,
& charismatum, summa cum reueren-
tia semper acquiescat. Amor crucis,
& conformatio nostræ voluntatis
cum diuina, quoad diuisionem do-
norum.

III. *Et audientes decem, indignati sunt
de duobus fratribus. Iesus autem vocauit
eos ad se, & ait: Scitis, quia Principes gen-
tium dominantur eorum. Non ita erit in-
ter vos, sed quicumque uoluerit inter uos
maior fieri, sit uester minister: Et qui uo-
luerit inter uos primus esse, sit uester seruus.
Sicut Filius hominis non uenit ministrari,
sed ministrare, & dare animam suam re-
demptionem pro multis. Quam suauiter
& efficaciter pius Dominus eos ab af-
fectatione primatus deterret, atque ad
sui imitationem inuitat, optans nimi-
rum in Ecclesia sua neminem ambire
Prælaturas; eos autem qui diuina e-
lectione ad eas euehuntur, omnibus
humilitatis exemplo præire, omnium
se minimos & indignissimos æstima-
re, omnium seruos se exhibere. Fu-*

ga ambitionis, studium intimæ
militatis.

VI. De Patientia & longanimitatis conditionibus, gradibus, fundamentis. } 39

VII. De Actibus internis externisque patientia, & incitamentis. } 6.p.med. } 40

24. hebd.
post
Trinit.

Dominica XXIV. post Trinitatem.

I. De Hamorrhoida sanata. Matt. 9.
Marc. 5. Luc. 8.

I. **C**um Iesus sequeretur laicum Archi-
synagogum ad sanandū eius filiam
mortuā vicinam, mulier, qua sanguinis fluxum
passa duodecim annis in medicos erogauerat
omnem substantiam suam, nec ab ullo potuerat
curari, accessit retrò & tetigit simbriam
vestimenti eius, dicebat enim intra se, si
tantum tetigero vestimentum eius, salua ero.
Et confestim siccatus est fons sanguinis eius.
Magna fiducia mulieris

lieris tam inueterati morbi curatio-
nem tam firmiter sperantis; at multò
maior liberalitas Christi tam liberali-
ter integram sanitatem impertientis.
Quis de quibuscunq̄ue, quantumuis
inueteratis animi languoribus gratiã
Christi superandis desperet: si tantam
eius in languoribus corporis curandis
promptitudinem attentè perpendat?
Fiducia filialis, amor tam amabilis
Saluatoris.

II. *Christus conuersus ad turbam, aiebat:*
quis tetigit vestimenta mea? negantibus
omnibus, ait Petrus: Præceptor, turba te
comprimunt & affigunt, & dicis, qui me
tetigit? dixit Iesus: Tetigit me aliquis.
Nam ego noui virtutem à me exisse. Vi-
dens autem mulier quia non latuit, tremens
venit & procidit ante pedes eius: & ob
quam causam tetigerit eum, indicauit co-
ram omni populo, & quemadmodum confe-
ssim sanata sit. Aliquando Dominus
voluit miracula à se patrata occultari,
vt nos doceret in bonis operibus ex-
ercendis vitare inanem gloriam & ho-
minum plausum: nonnunquam, vti
hic, propalari, vt Archisynagogi &
turbæ sequentis imbecillem fidem
confirmare, atque in bonorum ope-
rum exercitatione subinde proximis

nostris ex pura intentione virtutum exempla monstranda esse ostenderet, sicque doceret exemplo, quod docuerat verbo: *Videte ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Et: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est.* Fuga vanæ gloriæ, cura vitæ exemplaris, & puræ intentionis.

III. *Et dixit illi Iesus: confide filia, fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Quam bonus Dominus his, qui recti sunt corde, quam liberalis erga sperantes in se! quam longè superat vota nostra pietatis suæ abundantia! illa sanitatem corporis speravit, & hanc, & simul animæ salutem imperravit, & filia gratiæ ex filia gehennæ fieri meruit. Quanto humilitatis, gratitudinis, amoris affectu hanc tantam Domini erga se benignitatem suspexerit, de prædicarit, & reliqua vita compensarit? Idem tibi similem gratiam toties experto faciendum existima.

De Zachæo conuerso. Luc. 19.

H.

I. **P**ERambulante Iesu Iericho, Zachæus Princeps publicanorum, statura pusillus, cupidus eum videndi, præcurrens ascendit in arborem Sycomorum, ut videret illum inde transiturum. Filius Dei qui in mundum venerat quærere & saluum facere, quod perierat, nunc perambulat Iericho ad quærendum Zachæum, ut ex mancipio Mammonæ faceret filium Abrahæ: quem gratia sua abundante sic præuenit, sic illuminauit, sic accendit, ut se à vera virtutis semita aberrasse humiliter agnosceret, verum Saluatorem videre ardentem cuperet, & ut voti sui compos fieret, se risui omnium exponere non dubitaret? Nisi & te sic pius Iesus quæsisset, ubi nunc esses? quam profundè in luto concupiscentiarum tuarum demersus hæeres? Admiratio diuinæ benignitatis erga peccatores, gratitudo, amor.

II. **S**uspiciens Iesus vidit illum, & dixit: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. At ille festinans descendit, & excepit illum gaudens, murmurantibus omnibus quod ad hominem peccatorem diuertisset. O inæstimabilis

bilis liberalitas Saluatoris ! O incomparabilis felicitas talis peccatoris ! quæ desiderabat videre , meretur hospicio excipere : & quem pascebat cibo corporali, ab eo pasci meretur cibo spirituali. Inuides illi hanc felicitatem ! eandem sentis tibi toties offerri, quoties intus eum pulsantem audis ostium cordis tui : *Ecce sto ad ostium & pulso. Aperi mihi soror mea, amica mea.* Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Gratitude, amor, feruor parendi diuinæ inspirationi.

*Apoc. 3.
Cant. 5.
Eph. 5.*

III. Stans autem Zacharus dixit ad Iesum : *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquando defraudaui, reddo quadruplum, ait Iesus ad eum: quia hodie salus domui huic facta est, ac quod & ipsa sit filius Abrahae.* En dignos fructus pœnitentiæ, & veræ conuersionis, ad quos proferendos excitulat, inducitque præsentia Iesu. Si similes fructus producis, signa habes veræ ad Deum conuersionis: quæ si non habes, cura vt habeas, peccata commissa cum lacrymis detestando, confessione expiando, operibus satisfactorijs compensando, iniurias & damna proximis illata restaurando, &

feruenti eximiae perfectionis studio
præteriti temporis iacturam resarcire
conando. Feruor in his Zachæum i-
mitandi.

De Lazaro languente & mortuo.

III.

Ioan. II.

I. **L**azaro agrotante in Bethania, mo-
nitus Iesus à sororibus eius Maria
& Martha, curantibus illi nunciari: Do-
mine, ecce quem amas infirmatur; respon-
dit: infirmitas hac non est ad mortem, sed
pro gloria Dei: ut glorificetur Filius Dei
per eam, & tunc mansit in eodem loco duo-
bus diebus. Magna fuit sororum erga
Christum fiducia, magna in ipsius be-
neplacitum resignatio, confidenter
illi solum insinuantium: Ecce quem *S. Aug.*
amas infirmatur. Sufficit ut noveris, non *17. 49. 17.*
omnem amas, & deseris. Magnum item *Ioan.*
fuit illarum gaudium cum audirent,
hanc infirmitatem non esse ad mor-
tem: & nihilominus pius Dominus
permisit Lazarum mori, illas contri-
stari: insuper distulit eas præsentia
sua consolari: idque ex singulari a-
moris erga eas affectu, & zelo ma-
ioris gloriae Patris, maioris ipsarum,
aliorumque profectus spiritualis. Di-
stulit enim ideo illum sanare, ut posset

§§ 4

resu;

resuscitare, & hoc miraculo plurimos in fide confirmare, simulque illarum fiduciam, patientiam, constantiamque probare, meritum augere, & maiore gaudio non opinantes cumulare. Eundem quoque procedendi modum cum ceteris Electis seruare consuevit, quos ad insignem perfectionem & gloriam euehere statuit. Fiducia, amor, resignatio.

II. Biduo elapso Christus Apostolis reditum in Iudæam denunciat: at illos tergiversantes: *Rabbi nunc quarebatur Iudæi lapidare, & iterum vadu illud* duplici ratione confirmat. 1. Quia ut sunt duodecim horæ diei, ita terminus vitæ, cuique à Deo est constitutus, qui præteriri non poterit: vel quia interim Iudæorum odium potuit inter tot horas mutari, aut mitigari. 2. Quia si quis ambulat in die, non offendit, benè agens & sincerè coram Deo ambulans, non incurrit morem, quamdiu eum seruare constituit diuina prouidentia: Impius autem, aliquando in pœnam peccati è medio tollitur, iuxta illud: *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Fiducia in aduersis, contemptus mortis pro gloria Dei.

III. Cau

III. Causam perfectionis ipsis rectè
 primùm insinuat: *Lazarus amicus no-*
ster dormit: sed vado ut à somno excitem
eum. Cumque id timore præoccupati
 non intelligerent; apertius quod insi-
 nuarat explicat: *Lazarus mortuus est, &*
gaudeo propter vos ut credatis, quoniam
non eram ibi. Sed eamus ad illum. dixit
ergo Thomas ad condiscipulos: Eamus &
nos, & moriamur cum illo. quàm pater-
 nè pius Dominus discipulos vacillan-
 tes erigit, rudes instruit, imperfectos
 tolerat, timidos animat, idq; quanto
 zelo eos feruore charitatis, & amore
 crucis inflammandi, vt cum Thoma
 ad ardua quæq; subeunda, & mortem
 ipsam pro gloria Dei oppetendam, se
 offerre non dubitarent. Amor Dei,
 zelus ardua quæque pro eius gloria
 faciendi & patiendi.

De eodem Lazaro resuscitato: ibid. IV.

I. Iesus priusquam suscitaret Lazarum,
 probat & corrigit Marthæ sibi
 occurrentis imperfectam fidem, quam
 prodit dicendo: *sed & nunc scio, quia*
quæcunq; poposceris à Deo, dabit tibi Deus,
 quasi ipse non posset vitam conferre
 per se, sed tantum precibus obtinere,
 cum tamen ipse esset Deus. Ideo re-
 spon-

S s s

spon-

Spondit: *Ego sum resurrectio & vita*: quasi diceret, Ego possum per me resuscitare & viuificare, *Credis hoc?* Cui Martha iam seipsam corrigens: *Ego credidi, quia tu es Filius Dei uisus, qui in hunc mundum uenisti*. Deinde uoluit adesse Mariam huic miraculo, pro eius erga se eximio amore, ut eundem sic uehementius inflammaret, atque ut excellenti sua fide, resignatione & dilectione fratris resuscitationem impetraret. En quam paternè amantissimus Saluator undique occasiones Electorum suorum meritum augendi captat, tam cum eorum uirtutem probat, & imperfectiones arguit, quàm eum ad progressum exstimulat, & consolationibus mulcet. Constans amor Iesu consolantis & arguentis, Resignatio.

II. *Iesus ut uidit Mariam plorantem, & Iudæos qui uenerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & dixit: ubi posuistis eum? dicunt ei; Domine, ueni & uide. Et lacrymatus est Iesus. Dixerunt ergo Iudæi, ecce quomodo amabat eum; licet alij id calumniarentur.* Quam cordiales Christus fudit lacrymas, & quidem triplices, compassionis erga Iudæos flentes, quos præuidit ex hoc miraculo occasionem se interficiendi

eiendi capturos: commiserationis erga defunctum & pias sorores afflictas: compunctionis ex recordatione peccati, per quod mors introisset in mundum, & pro quo abolendo ipse breui mortem foret subiturus! Quanti amoris hæ omnes lacrymæ sunt indices? quam potenter ad collacrymandum inuitant! Et nihilominus eheu quam pauci sunt, qui se his emolliri sinunt? Zelus imitandi has triplices Christi lacrymas.

III. *Iesus sublato lapide, eleuatis sursum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me; Ego autem sciebam, quia semper me audis. sed propter populum qui circumstat, dixi, ut credant, quia tu misisti: hac cum dixisset: voce magna clamauit: Lazare, veni foras, clamat voce magna tanquam loquens ad longè distitum, cuius anima erat in limbo: imperat ut prodeat uiuus, tanquam vitæ & moris habens imperium. audiit ille Domini vocem, paruic imperio, prodijt uiuus & sanus, qui mortuus fuerat, & iam fœtebat Quod Lazaro præstitit corporaliter Christus, idem præstat spiritualiter peccatori, cuius typum ille gerebat: Peccator enim, quæ subtrahente se, ob commissi*

sum peccatum, gratia moritur, in terrenarum cupiditatum sepulchro conditur, lapide obdurationis clauditur, ob scandala præbita foetorem exhalat; à Christo per iustorum suffragia diuinæ inspirationis & motionis efficacia ad vitam gratiæ reuocatur, atque in stitis prauorum habituum, quibus ligatus prodierat, per directionem Patrum spiritualium liberatur. Ad patres ergò, imò maiores cum Lazaro tenetur Christo omni modo possibili referendas gratias. Gratitude, Feruor iustificationis beneficium eximio perfectionis studio compensandi.

V. *De consilio, occasione suscitati Lazari, contra Christum habito. Ioan. 11.*

I. *A* *V*ditis his de Lazari resuscitatione, collegerunt Pontifices & Pharisei conciliū & dicebant: quid facimus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum, sic omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem, quā iusto Dei iudicio inuidiā & obstinatione sua excecati Iudei temporale & æternū regnum perdiderunt, dū ex-
tam

tam euidenti miraculo occasionem
verum Messiam perdendi captarunt,
quo ad credendum in ipsum permo-
ueri debuerunt; Quam acuto doloris
gladio cor pijsissimi Iesu transfixerit
tam obstinata inuidorum Iudæorum
malitia, ex pretiosissimis operum &
miraculorum suorum floribus instar
araneorum, non mel, sed virus exsu-
gentium; vti & illorum omnium,
quos præuidebat ex æmulatione non
bona, & zelo non secundum scientiam
pios seruatorum suorum in conuersio-
ne animarum conatus calumniaturos,
& impedituros. Horror inuidiæ, ob-
stinationis, ingratiitudinis, indiscretæ
æmulationis.

II. *Vnus autem ex ipsis Caiphas, cum
esset Pontifex anni illius prophetans dixit:
vos nescitis quicquam, neq; cogitatis, quia
expedit vobis, ut unus moriatur homo pro
populo, & non tota gens pereat. Ab illo ergo
die cogitauerunt, ut interficerent eum. En
miram diuinam prouidentiam, quæ
per os pessimi Pontificis nihil minus
cogitantis passionem Christi ad totius
generis humani salutem necessariam,
non proprio, sed prophetico spiritu
pronunciari voluerit, ad incredulos
confundendos, & fideles in fide con-*

firmandos! En miram simul hominum impiorum in oculis suis prudentium insipientiam, quibus id, quod ad cladem auerendam putarunt esse necessarium, temporale & æternum attulit exitium! Quam occulta, sed & quam iusta iudicia Dei, iniqua contra pios impiorum consilia in suam ipsorum perniciem vertētis! Admiratio diuinæ prouidentia, Reuerentia erga arcana Dei iudicia Horror ingratitude.

III. Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudaos, sed abijt in regionem iuxta desertum, in ciuitatem qua dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis. Cedit mansuetus Dominus furori aduersariorum vsque ad tempus à Patre præfinitum, interim se ad instātem agonem comparat: quot, quamque incensis desiderijs gloriæ Patris, & nostræ salutis, quot frequentatis actibus humilitatis, obedientiæ, compassionis, amoris, resignationis? Feruos in his Christum imitandi.

VI.	De natura, conditio-	} 6. p. med. }	} 45.
	nibus, & gradibus humilitatis.		
VII.	De Fundamentis e-	} 46.	} 46.
	iisdem perfectæ humilitatis.		

Domi-

Dominica XXV. Post Trinitatem.

25. hebd.
post
Trinit.

De abominatione desolationis.

Matt. 24.

I.

I. **I**esus interrogatus à discipulis : quod signum aduentus tui & consummationis sæculi? Respondit: cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto, qui legit, intelligat. Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua, & qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam. Paternè præmonet quid ingruente miserabili deuastatione Hierosolymitana, & horrenda Antichristi sub finem mundi persecutione, imò quavis graui Ecclesiæ aut priuata afflictione fidelibus sit faciendū. 1. Fugiendum esse ad montes, id est, ad diuinum præsidium exposcendum seria pœnitentia, oratione, ieiunio, alijsque pijs exercitijs. 2. Non descendendum de tecto, id est, abijciendam superfluam & inordinatam sollicitudinem temporalium, & inhærendum contemplationi

tionem

tioni & desiderio aeternorum. 3. In agro, id est, messe Domini colligenda, vineaque cuique assignata, excolebunda persistendum, conando quotquot potest errantes conuertere, vacillantes confirmare, stantes conseruare, si sic contra imminentes tribulationum procellas luctemur, quam pretiosos ex illis fructus reportaremus! Fiducia, magnanimitas, & constans zelus propriae alienaque perfectionis in tribulatione.

II. *Vae prae* praeconantibus & nutrientibus in illis diebus! *Orate autem ne fiat fuga vestra in hyeme vel sabbatho, erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit, neque fiet.* Praedicat atrocitatem persecutionis repente ingruentis; vt vix fuga locus, maximè in imbecillioribus, sit futurus, ac proinde cauendum fidelibus monet, ne in fide & omnimoda perfectione parum solidatos, imparatos praecipuet. Praemuniendus ergo erit animus, ad imminentes omnis generis tribulationes, per assiduum studium in feruore spiritus & solidis virtutibus semper proficiendi, per serium conatum frigus tepiditatis excutiendi, horrorem difficultatis superandi, desiderium otiositatis eliminandi. Tepiditatis

piditatis fuga & detestatio, Feruoris spiritus crebra renouatio.

II I. *Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus aut illic, nolite credere.* præmunit eosdem fideles contra varios seductores, quales fuere tempore excidij Hierosolymitani, eruntque tempore Antichristi, nec modò desunt tot hæretici & falsi Christiani, qui doctrina & vita peruersa incautos in varios inducere conantur errores. Horum omnes doli eludendi, crebra recordatione extremi imminenti iudicij, & tam paternæ præmonitionis filij Dei iustar fulguris repenti ad horrendum illud iudicium venturi. Constantia in vera fide & sincera pietate contra omnes seductorum insidias colenda, & propugnanda.

De cœna in Bethania. Ioh. 2.

I. *Iesus ante sex dies pasche in Bethania cœna exceptus est à Lazaro, Magdalena & Martha, in qua Magdalena iterum unxit pedes & caput Domini recumbentis.* O quali affectu reuerentiæ, humilitatis, gratitudinis, amoris, oblationis sui cum Christo & discipulis, Lazarus recens resuscitatus recumbebat, Martha ministrabat, Maria more suo pedes eius lauabat, capillis tergebat, vnguento

IIe.

guento pretioso ungebatur, nec hoc contenta, fracto alabastro reliquum super caput dilecti sui effundebat! Quanto Christus gaudio horum omnium tam pia ex sincero corde praestita sibi obsequia excipiebat, & quam copiose novis favoribus & gratijs concessis compensabat! O quam gratiosus est harum virtutum, horum affectuum, ac desideriorum odor, quo replentur & recreantur non solum nares Christi, sed & totius Ecclesiae militantis & triumphantis! si Christi bonus odor desideras esse, harum virtutum actus ex sincera intentione frequentare stude. Feruor frequentandi actus & quidem eximios reuerentiae, humilitatis, gratitudinis, amoris, oblationis sui ipsius.

II. *Iudas obmurmurat liberalitati Mariae ex auaritia affectu, & ceteri discipuli eius exemplo permoti ex indiscreto zelo, sub specie melioris boni. Si tam pium sancto sanctorum ex sinceri amoris excessu exhibitum obsequium habuit obrectatores; quid mirum, si & tua minus perfecta, quantumuis ex bona intentione Deo proximisque praestita, habeant calumniatores? Tolerantia calumniarum & iniuriarum.*

III.

III. *Christus obrectatoribus os obstruit, Magdalenam defendit & excolit, & ex quam pia intentione, ut videlicet praeueniat corpus suum ungere ad sepulturam, quod illi postea non licuit, manifestè ostendit, idque in toto mundo celebrandum praedicit. En quam mira prouidentia Dei, ipsas etiam calumnias in gloriam suorum electorum, non solum in altera, sed & non raro in hac vita conuertentis! Nunquam enim hoc amoris Christo exhibitum à Magdalena officium in toto mundo sic deprædicatum fuisset, nisi dentibus obrectatorum arrosus fuisset. Admiratio diuinæ prouidentiae, Patientia & resignatio in calumnijs sustinendis.*

De gestis post solemnem Christi Ierosolyma ingressum, Marth. 21. IIII.
Mar. 11. Luc. 19.

I. **I**esus cum solemni pompa Ierosolymam introductus (de qua latius Dominic. palmar. 2. part. medit.) ingressus templum eiecit ex eo vendentes & ementes; Et accedentes claudos & caecos sanauit. Videntes autem Principes Sacerdotum & scriba mirabilia qua fecit, & pueros clamantes & dicen-

Luc. 19.

Dan. 9.

.III

dicentes: O sanna filio David: indignati sunt & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Iesus autem dixit eis: utique nunquam legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem. Dico vobis, si hi tacuerint, lapides clamabunt. En quò propius ad metam vitæ accedit, eò feruentius operi redemptionis nostræ perficiendo insistit, impleens illud Danielis: *Confirmavit pactum multis hebdomada una.* Quid enim hac vltima hebdomada intentatum reliquit? dies integros concionando, pernicaces conuincendo, ignorantes docendo, agros sanando; noctes orando & contemplando consumpsit; demum seipsum hostiam viuam æterno Patri victimandam obtulit. At quanta cœcitas Iudæorum id non agnoscendum, imo & tot Christianorum ingratos sese tante gratiæ exhibentium. Annon & contra hos ipsos olim lapides, quibus sunt duriores, vindictam clamabunt? Amor Iesu, & zeli eius imitatio, ingratitude detestatio.

I. I. *Circumspectis omnibus cum iam vespera esset hora, exiit foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibique mansit.* En filius Dei diurnis concionandi, agrosque sanandi laboribus fractus, ne vnum qui-

quidem reperit, a quo refocillaretur,
& hospitio exciperetur; ideoque cum
suis in cenatus & famelicus in Betha-
niam redire cogitur. Quisquis cupis
zelum & spiritum Christi imitari, in-
spice & fac secundum hoc exemplar,
memor discipulum non esse maiorem
magistro suo. Zelus animarum fortis,
patiens & constans.

III. *Manè famelicus rediens in ciuita-
tem, vidensque ficulneam, venit ad eam,
nihilque inueniens in ea nisi folia tantum,
ait illi: nunquam ex te fructus nascetur in
sempiternum. & are facta est continuo fi-
culnea.* Viden' in typo huius maledictæ
& continuo arefactæ ficulneæ in-
gratam & sterilem Synagogam ater-
næ maledictioni addictam! Admira-
re, paue, & ne idem tibi contingat,
caue. Horror ingratitude,
Feruor respondendi gra-
tiam propriae vo-
cationis.

IV.

De superbia & hypocrisi Scribarum
& Phariseorum. Matt. 23.

I. PRÆcipit Christus turbis Scribarum & Phariseorum doctrinam acceptare, opera verò eorum praua nequaquam imitari. *Super cathedram Moysi sederunt scribae & Pharisei. Omnia ergò qua dixerint vobis seruate & facite. secundum opera verò eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt.* Disce hinc, si Superior aut Concionator es, prius facere quam docere; si subditus es, parere cuius legitimo superiori, quamsumuis imperfecto, tanquam vicario Christi, si nihil Christo contrarium iubeat. Cæca obedientia, vita exemplaris.

II. Reprehendit arrogantiam Phariseorum, ex omnibus operibus suis humanum plausum, & inanem gloriam captantium. *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. amant primas recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite vocari Rabbi. Vnus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis. Quam multi verbo has arrogantiae sordes detestantur,*

stantur, & facto tamen ipso easdem amplectuntur! Ne his coram Deo annumereris, profundissimam Christi humilitatem corde, ore & opere æmulari indefinenter contende. Horror superbiæ & vanæ gloriæ, Feruor proficiendi in intima humilitate.

III. Acriter castigat multiplicem eorum hypocrisim, quod comedant demos viduarum, orationes longas orantes: quod deciment mentham, anethum, & cyminum, & relinquunt qua grauiora sunt legis, Iudicium, misericordiam & fidem, excolantes culicem, camelum autem glutientes: quod mundent id quod de foris est calicis & paropsidis, intus autem pleni sint rapina & immunditia: quod similes sint sepulchris dealbatis, qua à foris parent hominibus speciosa, intus verò sunt plena ossibus mortuorum, & omni spurcitia, sic & illi à foris parent hominibus iusti; intus autem pleni sunt hypocrisis & iniquitate. Quis has exprobrationes mansuetissimi Saluatoris, & Doctoris infallibilis veritatis scrutantis corda & renes audiat, & quicquid Pharisæicam hypocrisim olere videatur, non exhorrescat? Horror hypocrisim olere videatur, non exhorrescat? Horror hypocrisis, amor simplicitatis & sinceritatis, cura puræ intentionis.

De

IV. De Iudeorum ingratitude & crudelitate in missos ad se Prophetas.

Matth. 23.

I. CVM Iesus Scribis & Phariseis exprobrasset, quod suo ipsorum testimonio faterentur se esse filios eorum, qui Prophetas occiderunt, videntque eorum erga se suosque odium & quid mox essent facturi, dixit: Id eò Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidatis. Quam inestimabilis bonitas Dei, eos etiam, quos ingratos & refractarios præuidit, tot modis, per tot præcones missos, ad se agnoscendum, amandumque allicientis? tantaque persecutiones electorum suorum permittentis, tantamque eorundem gloriam inde elicientis? vt patet in D. Stephano ab inimicis contumeliosè lapidato, alijsque Apostolis & viris Apostolicis ignominiosè tractatis, immaniterque trucidatis, à Christo verò sic exaltatis. Quam ardentè redamanda illa infinita bonitas! quam reuerentè suspicienda & laudanda in omnibus diuinorum consiliorum incomprehensi-

hensibilitas ! Amor Dei , resigna-
tio.

II. *Ierusalem, Ierusalem, qua occidis
Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi
sunt, quoties volui congregare filios tuos,
quemadmodum gallina congregat pullos
suos sub alas, & noluisti!* Si tanta charitas
amantissimi Saluatoris erga reprobos,
quanta erit erga electos ? Si admira-
mur naturalem amorem gallinae ro-
stro, vnguibus, clamore pullos suos
contra miluos cum periculo vitae de-
fendentis, fame & macie se, vt illos
alar, conficientis, alis eosdem contra
frigus, aestum, aliaque incommoda
contegentis: quanto magis suspicere,
reuereri, æmulari, & compensare co-
nari nos oportet amorem Christi hæc
omnia & multo plura tenerrimi amo-
ris signa electis suis, imò etiam ingra-
tis & reprobis, longè eminentius ex-
hibentis; tenerrimo filialis amoris af-
fectu sic amantem purè propter se re-
damando, nobisque commissos, imò
omnes proximos propter ipsum simili
dilectione prosequendo ? Amor Iesu,
zelus animarum.

III. *Ecce relinquetur vobis domus ve-
stra deserta. Quam displiceat Deo in-
gra-*

T t

gra-

gratitudo, præsertim in filijs gratie
tot peculiaribus diuinæ dulcedinis
benedictionibus præuentis, manifestè
declarat tam miserabile Iudaici po-
puli, tam peculiaribus prærogatiuis à
diuina bonitate ornati, hic à Christo
prædictum excidium. Hoc inspice,
paue, caue. Horror ingratiudinis.

- | | | | |
|-----|--------------------------------------|----------------|--------|
| I. | De humilitatis ac- | } 6. p. med. } | } 47 } |
| | ctibus internis,
externisque per- | | |
| | fectè exercendis. | | |
| II. | De medijs humili- | } 48 } | |
| | tatis obtinendæ,
& incitamentis. | | |

26. hebd. **Dominica XXVI.** Post Trinitatem.
post Trinit.

De extremo die iudicij. Matth. 25.

I. **CVM** venerit filius hominis in ma-
iestate sua, & omnes Angeli cum eo
congregabuntur ante eum omnes gentes: &
separabit eos ab inuicem, sicut pastor segre-
gat oves ab hædis. Quam horrenda illa
sepa-

separatio reproborum ab electis hanc
si times, caue, ne te nunc à filiis gratiæ
per vllum peccatum spontè segre-
ges. Horror peccati.

II. Tunc dicet his, qui à dextris eius erunt:
venite benedicti Patris mei, possidete para-
tum vobis regnum. Esurivi enim & dedi-
sti mihi manducare, quod uni ex minimis
meis fecistis, mihi fecistis. Quam suauem,
& liberalem in minimis etiam sibi,
suisque præstitis obsequijs remune-
randis, se erga electos, vti in hac vita
exhibuit, ita & in iudicio, & æter-
num in cælo exhibebit misericordis-
simus Saluator. Quam proinde æ-
quum foret, & te in eo redamando
omniq; obsequiorum genere demer-
endo esse liberalem!

III. Tum dicet & his, qui à sinistris
eius erunt: discedite à me maledicti in ignem
æternum: Quam suauem & amabilem
se electis Saluatorem & remunerato-
rem, tam seuerum & terribilem re-
probis Iudicem & vindicem exhibe-
bit. O fulmen terrificum quo præci-
pitabuntur in tartarum impij, non so-
lum mala commissa, sed bona omissa
æternum luituri. Vis tunc illud non
timere? nunc time, dum tempus est
gratiæ.

T r

P r

Pro hac hebdomada, si occurrat, usque
pari poterunt modi orandi 1. part. meditat.
Dom. 5. & 6. post Epiphaniam positi, illi
anno omitti.

Vel haec residua de virtutibus meditatio-
nes ex 6. parte meditat. sub finem.

- II. De Mansuetudine & Clementia.
- III. De Temperantia, Abstinencia, Sobrietate.
- IV. De Castitate.
- V. De Constantia.
- VI. De Studiofitate.
- VII. De Taciturnitate & Modestia.

Finis Meditationum Quar-
tæ Partis.

QVIN